DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA 24 3

De

MEDICINA MEDICINÆ CURIOSÆ

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBVRGICO, RELIQVA;

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RER. NATURAL. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONGE DIGNISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO

omni Obſervantiæ atque Honoris cultu ætatem colendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

Summisque in Arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis Solenni obtinendo more Majorum

Ad d. Februar. MDCCXIV. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum examini ſubmittit

Autor & Reſpondens

JOHANNES FRANCISCUS DONZELINA

Genevenſis.

MEDICINÆ PRACTICUS

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
De
MEDICINA MEDICINÆ CURIOSÆ.

PROOEMIUM.

VUlgaris occurrit in Æſopi vitæ curriculo mentio atque traditio, quod cum aliquando Æſopus, una cum ſodalitiis mancipiis quibusdam formoſis & ſpecioſis, in foro publice divendendus expoſitus fuiſſet, & unus ex ſociis ad quæſtionem, quantum & in quo inſtructum & exercitatum ſe profiteatur, reſpondiſſet: ſe in omnibus eſſe verſatum; aut, ſe omnia callere, glorioſè mentitus ſit, hic Æſopus poſthac ſimiliter interrogatus, in quonam ille profeciſſet, reſponſum dederit, ſe plane nihil ſcire: Et quidem eam ob cauſſam, quia ſocius vicinus, omnia intellectu comprehendiſſe glorietur, ita nihil ſupereſſe aut ſuperfuiſſe, quo ipſe po-

tiri umquam potuiſſet: Simplex hæc reſponſio arriſit emtori, & conciliavit Æſopo gratiam. Hæc ſcena, optimo jure, ad duplicem Medicinæ, tam Theoreticæ quam practicæ, ſtatum, applicari poteſt; dum unus ſpecioſus eſt, & cum multa oſtentatione turgidus, in omnes curioſitates, novitates, ſpeculationes, & myſteria naturalia imminens; alter vero ſimplex, planus, cordatus, perſpicuus, nihil ſimulatus nihil evanido ornamento & ſplendori indulgens, ſed veritati, (quam, licet omnes declament, vix tamen multi verum hoc verbum capiunt, intelligunt, nedum quidem poſſident) ſimplici methodo ſtudens; propterea etiam prior medicinæ facies omnem fere ſapientiæ & certitudinis theſaurum mentitur, ut poſteriori nihil niſi ſimplicitas ſuperſit. Unde vero etiam eſt, ut ſecundum vulgarem, ſed veram, philoſophorum ſententiam, quo ſimplicius eo melius quid æſtimetur & præferatur; quam tamen ſemitam πολυπραγμοσύνῃ toti intenti, inverſo pede inſiſtant, & quo curioſius & ſpecioſius quid eſt, eo perfectius illud dicant, aſſerantque. Ob id fatum, vulgo medicinam premens & offendens, *Baglivio in Praxi Medica* Medicinæ, quadrare, videtur priſca „fabula de Scylla, quæ ſpecioſæ virginis vultum pectusque referebat, circa uterum vero monſtra latrantia geſtabat: dum videlicet omnia in *Medicina* jucunda, ſpecioſa, formoſa, & ſplendida eſſe urgentur, & cum iisdem animi molles, incauti, cæci, præcipites, inconſtantes, & adhuc vagis curioſitatibus immerſi & inſudantes, ad res vero ſerias inepti aut impatientes, irretiuntur & decipiuntur: Loquor vero de illa πολυπραγμοσύνῃ & πολυμα-

λυμαθεία, quæ nihil utilitatis medicinæ unquam acquirit, ſed animos â ſerioſis ita detinet, ut ſolidiores & utiliores reſpectus, negligentius & incurioſius tractentur, & ſic ſemper ſaltus extra choream committantur. De quo ſtatu etiam veteres elocuti ſunt: πολυμαθεῖα νȣ̃ν ȣ̓ διδάσκει. De tali oſtentatione in rebus ſcientificis non malè *Cicero* aſſerit: *quod non doctus ſed curioſus ille ſit, qui plus docet, quam ſcit*: cum quo illud *Iſocratis contra Sophiſtas* conſentit: *non magnas efficiunt artes qui falſa circa illas jactare ſuſcipiunt, ſed illi ſolum, qui, quod in qualibet arte revera ineſt, illud perveſtigare & eruere ſatagunt.* Ita enim ſane in rebus vitam humanam attinentibus non ſufficit, fingere quædam, quæ ob ſpeciem externam animis facile inhæreſcunt, aut ſupponere, quæ forte ita eſſe poſſunt, aut probabiliter fieri queunt, excogitare nova, quæ cognitioni naturæ humanæ penitus repugnant, cum tamen nullus Aeſculapio gallum ſpondere, & Medicinæ ſacraria vel penetralia exquiſite imitari & ingredi queat, niſi qui ad *Hippocratis*, *Celſi* & *Galeni* monitum, exquiſitè naturæ vires, vias, methodos, inclinationes, ordines, motus & fines intellexerit & exploraverit; ſed quicunque ſupra vulgus ſapere affectant, & ſimplici demonſtrationi contrariantur, idem illud committunt, ſed idem illud experiuntur, quod *Thaleti Mileſio* accidit, cui à famulo ſuo hæc animadverſio & conſideratio commendata fuit, dum ille, ſiderum contemplationi, obſervationi, & inſpectioni totus inhæſiſſet, & propterea in foveam ante pedes conſtitutam incidiſſet: quod fruſtra & inutiliter in cœlum transferantur ſpeculationes, ſi rerum ante pedes poſitarum conſtitutio non innoteſcat; quo coincidit,

dit, quod *Alexis apud Athenæum* ſuppeditat: *ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρεξῶμεν συγγενές.* Idem committunt, qui in Medicina, tantum inaudita, ſtupenda, rara, iucunda, jocoſa, nova, variantia, exotica, ex omni terræ angulo conquiſita, & propterea ſpecioſa, oculos delinentia, & incontinentes ac præjudicioſos animos captantia, glaucomata, phaſmata, phantaſmata, ſub diverſa figura & ſpecie ſeſe offerentia, affectant, & de iisdem per omnes tropos & ſuperlativas commendationes, theticas magis quam hypotheticas, & fabulantur & garriunt, indeque philologiæ medicæ inhærentes, multa de his novitatibus dicunt, pauca probant, multa ſpeculantur, pauca experiuntur, multa arripiunt, pauca connectunt, multa fieri poſſe aſſerunt arguuntque, pauca fieri ſolere percipiunt, & ita ipſo facto cognoſcunt, quod *Celſus* dixit, morbos *non eloquentia ſed remediis curari*, & quod *Seneca* aſſeveravit, *Philologiam non efficere artificem*; ut propterea ſemper verum maneat, quod *Chryſoſtomus* confeſſus eſt, *quod peregrina doctrina multas jactans nugas, & multa detinens auditores loquacitate, vacuis tandem manibus dimittat, neque magnum neque parvum lucratos emolumentum.* Et quamquam vulgo Medicina, duplici fundamento niti aſſeratur, ratione videlicet & experientia: ita tamen multoties evenit, ut ratio pro ratione habeatur, quæ tamen nulla eſt ratio; ut experientia ſupponatur, quæ tamen non eſt fide digna experientia: nam ratio multoties mutatur in ſpeculationem, imaginationem, credulitatem, ſuperſtitionem, præjudicium, aut præmaturam concluſionem, alienarum rerum applicationem, & animatarum cum inanimatis confuſionem: experientia

vicis-

viciſſim multoties non niſi temeraria experimentandi libido eſt, ut in hac, dictum de omni & dictū de nullo, quid rarius quid frequentius, quid umquam, quidve numquam occurrat, valde offendatur, & perverſo modo a particulari ad univerſale mala inſtituatur argumentatio; & quod uni forte accidit, illud pro experientia exponatur, indeque ſpecioſa quædam circumſtantia, novum arcanum, nova methodus &c. obtrudatur, & pro praxi medica habeatur. Dolendum ſane eſt, quod noſtris temporibus Medicina adeo ſit deperdita, & a primo fonte veræ ſinceritatis & ſimplicis atque ſinceræ veritatis aberret, magis alienis vel inveniendis vel propagandis ſit intenta. Turpe quidem numquam eſt, veritatem aliquando agnoſcere, ſed turpius eſt, diu veritati contumacius reſiſterè, & ex una errorum abyſſo ſemper in novas ceſpitare. Semper aliquid novi, raro aliquid veri: inde etiam contigit, ut, dum Medici ipſi, cum Medicina tantas ſcenas agunt, alii ad forum Medicum non ſpectantes, de Medicina & ſomnient & garriant; hinc phyſicus pro auctoritate pugnat, quod ad Medicinam è Philoſophia naturali primus aditus concedatur: inde Chemicus audacter urget ſervitutem à Medicina, ita alius neceſſitatem abſolutam, ſtaticæ, hydroſtaticæ, mechanicæ &c. in Medicinam extollit, uti quidam ex *libro Hippocratis de Diæta* Muſicam ad Medicinam neceſſariam & utilem, & quam non aliam ſcientiam, pugnant. Et ſi domeſtica tandem ſubſidia deficere videntur, ad hanc rem velut mercenariam, exotica & peregrina, pretioſa & ſpecioſa, magnalia, venalia, magna cura, temporis jactura, impenſarum diſpendio, conqui-

run-

runtur & corraduntur, in unam veluti maſſam rediguntur & commiſcentur, inde enaſcitur Medicina Curioſa, quæ quomodo etiam frctuoſa eſſe posſit aut debeat, ſæpius quidem meditabar, tanto magis quum animum meum ipſa experientia docuerit, ut quo major labor curioſitati adhibeatur & accedat, eo major gradus utilitati & veritati ſubtrahatur & decedat: hinc quum ſpecimen inaugurale Medicum mihi incumbat edendum, comprehendi peculiari ſtudio hanc occaſionem, & mecum conſtitui breviſſima delineatione exponere MEDICINAM MEDICINÆ CURIOSÆ. Hoc ipſum vero, ne, ut vulgo quidem fieri ſolet, dum veritas invidiam parit, ſiniſtre cedat, odium & faſtidium ſubeat & acquirat; ſed præfixum ſcopum aſſequatur, veritatis filum ſemper teneat, & fructum Medicinæ præviſum & præmeditatum eo certius & largius ferat, eſt quod à divina clementia humillimis precibus voveo atque rogo.

§. I.

DUm animus eſt *Medicinam* pro *Medicina* & quidem *triviali Curioſa* conſcribere & ordinare, poteſt ferme in ipſo limine labor hic videri ut inutilis & haud neceſſarius; quamprimum vero innotuerit vulgaris Medicinæ curioſæ conſtitutio atque indoles, facile liquebit, an talis, quæ curioſa vocatur Medicina, correctione, emendatione & reformatione, id eſt Medicina, indigeat. Vulgo quidem Curioſum illud dicitur, quod in genere non eſt commune aut vulgare quid, quod vero imprimis hominis ingenium & phantaſiam excitat, excolit & afficit, quod ratiocinationis & præfigurationis uſum præſupponit, & in externas tales actiones, & operationes ſeſe diffundit, quæ hos animi internos ſenſus reſpiciunt, quo tandem

dem accedit levis uſus dijudicationis harum rerum ſive objectorum, ſecundum æſtimationem grati & jucundi, aut adverſi & alieni; accedit & applicatio quædam illius, quod curioſi appellationem tuetur, ad diverſas res ſcientificas. & diſciplinas, imo etiam artes. Non aberravero, ſi *Curioſitatem* ad hodiernos mores accommodatam, *cum Plauto in Sticho & Aulularia*, & *Horatio* appellavero *ſtudium rerum alienarum*; quemadmodum etiam *Dionyſius Lambinus*, *Commentario in Plautum*, *curioſos homines, curis alienis confectos & emaciatos, aut qui nimis multum aliena, & non neceſſaria, curant*, nuncupat: ſic *Juvenalis* curioſos appellat, qui *curæ habent ſcire res ad ſe non pertinentes*. Unde *Plato* curioſitatem vocat *Studium inutilitatum humanarum*; cui aliquo modo conſentiunt, *Gellius in Noct. Atticis & Plutarchus de Cur.* uti germani curioſos vorwitzige Leute, hoc ſenſu ſignificare ſolent, quaſi genio & ingenio ſuo nimium indulgeant, plus ſpeculentur, quam experiantur, aut quam proficit; plus phantaſiæ ſtudium excolant, & ſuperfluis aut alienis comprehendendis & intelligendis inhæreant.

§. II.

Uti vero duplici acceptione generalis hic eſt CURIOSI ſenſus, ita occurrit etiam duplex *ſpecialior* Curioſi ſignificatio: quando animus humanus res contingentes & tam internis quam externis ſenſibus plus rarius occurrentes ita perſpicit, ut earum affectiones & qualitates vulgo dictas vel occultas vel intricatas, vel ſpecificas vel rariores, non modo quoad ſpeciem facti ſive τὸ ὅτι aſſequatur, ſed & in cauſſas earundem ſive τὸ διότι inquirat, & vel ex aliis ſimiliter abſtruſis, vel longe lateque collatis fundamentis earundem modum fiendi, eſſendi & finiendi evolvat, aut explicare contendat, vel quando, μετὰ πολλῆς φαντασίας, de omnibus admirationem vulgo excitantibus, aut delectationem promoventibus, rebus, viſum & phantaſiam incidentibus, diſſerere, ſpeculari, agere & operari, non veretur. Quaſi hæc

ſingula, quæ in macrocoſmo, & microcoſmo occurrunt, propterea contingant, ut homo de iisdem loqui & confabulari debeat, nec quicquam ſine cenſura dimittere ; & talis eſt illa πολυπραγμοσύνη, quæ ſuperflua & inutilis exiſtit ſeriæ Medicinæ.

§. III.

Neutiquam tamen duplex ſpecialiſſima Curioſi acceptio reticenda eſt, quæ tamen bonum ſenſum infert ; *primò*, quando quilibet in ſua ſphæra, id eſt ſcientia & peritia, ita laborioſus eſt & attentus, ut non vulgaria & communia, aut craſſa contingentia, ſolum advertat, ſed & licitam aliquam εὐσχημοσύνην proſequatur, in re qualibet concinnum ordinem & ielectam methodum inquirat, & quæ ad illuſtranda, confirmanda, & excolenda, dogmata & experimenta, faciunt, ex aliis exacte convenientibus circumſtantiis colligat : omnem vero confuſionem, & perverſam applicationem, & violentam connexionem, evitet : quo nihil utilitate ſua deſtituatur, ſed quo ſingula ad ſcientiam & artem ita pertinentia in pragmatologica veritate tractentur, conſerventur & exerceantur : quæ curioſitas etiam ad medicum forum extendenda eſt atque conferenda, ita tamen, ne illud *Hippocratis de Artic.* de tali curioſitate dici unquam poſſit aut debeat, videlicet *turpe eſt, ſicut in omni arte, ſic non minus in Medicina, multam turbam multam oſtentationem & multum rumorem concitare, deindeque nullam utilitatem afferre.* *Secundò*, quando quilibet aliarum miniſtrantium & vicariarum diſciplinarum atque artium ſtudio & culturæ ita intentus eſt, ut in hiſce animum ſuum adeo excolat, quo in altioribus & ſublimioribus ſtudiis expeditiori atque meliori ſucceſſu, proficere queat : ubi tamen iterum, maxima cautela opus eſt, ut una quidem diſciplina propter alteram tractetur, nulla vero propterea excolatur, ut neceſſario alteri immiſceri & confundi debeat. Quod præcipue in Medicina tenendum & ſervandum eſt : quemadmodum ridicu-

diculum eſſet artes liberales propterea diſcere, ut per carmina medicinam ſive ſtatum vitæ & morborum exponere, pulſus rhytmum ex Muſica indicare & explicare, aut ex phyſica, chymica Matheſi &c. Medicinam phyſicam chymicam Mathematicam-Staticam exponere & effingere geſtiamus.

§. IV.

Quemadmodum porro πολυπραγμοσύνη & quidem trivialis atque ſciola vulgaris referente *Gellio*, magis circa *agenda* quam credenda verſatur, & quidem monente *Ariſtophane* circa *res ad nos nihil pertinentes* tractandas & exercendas occupatur: ita diſcernenda, in primis ſtatim lineis, eſt, curioſitas *Theoretica* & mere ſpeculativa, à practica & *pragmatica*. Utraque non levia aut exigua damna unicuique diſciplinæ & arti infert; unde utriusque tractatio, cum ſumma circumſpectione, & neceſſaria prudentia, commendanda eſt. Illa, nimirum Theoretica & ſpeculativa curioſitas facile aberrat in ſelectu ſubjectorum cum quibus verſatur, & objectorum, quæ in illis ſubjectis obſervat & inquirit: mox enim peccat quoad multitudinem illorum, alibi quoad obſcuritatem horum, dum videlicet illa quæ captum humanum quandoque tranſcendunt, ſub cenſuram trahit, neque paucis comprehendendis & evolvendis intenta eſt, ſed multi-ſcientiam & ſuſpectam πολυμαθείαν affectat, atque animum per innumeras velut ſpecies diſtrahit, in ſuperficie alicujus rei hæret & ſubſiſtit, externis, ſenſum ferientibus circumſtantiis, & ita numquã uni rei exacte intenta & attenta, ſemper diffuſa & confuſa manet: ratione vero objectorum ſive qualitatum, mutuarum proportionum, habituũ, relationum connexionum, dependentiarum uſuũ, effectuum, influxuum, concurſuum, ita per quosvis terræ angulos oberrat & circumſpicit, unde cauſſas, vel craſſa poſſibilitate innixas, vel fragili probabilitate inhærentes, conquirat: vel ea univerſalibus & genericis cauſſis, ad ſpecialiſſimas facti ſpecies, argumentetur, & ad Magnetismos, Sympathias, Antipathias

thias, appetitum, gaudium, & tendentiam ſimilis ad ſimile, provocet, aut motus, motûs ordines, & concreatas, inditas, inviolabiles motuum & ordinum leges, voluntatem divinam, neceſſitatem implantatam, niſum, vim, poteſtatem motricem, aliasque excogitatas, generales & longè diſtantes, cauſſas, declamet & accuſet.

§. V.

Altera, quæ Practica & Pragmatica eſt Curioſitas, æque facilè a via veritatis & utilitatis aberrat, ni exquiſita circumſpectione & prudentia ſuffulta, res & negotia ſua conſtanter & attentè tractet; ſin verò ſecus proceſſum ſuum inſtituat, non niſi jejunis & ſterilibus experimentis ſuſcipiendis, probandis, vix vero approbandis & comprobandis ſeu confirmandis, operam det, varia aggrediatur, & craſſos illorum effectus atque uſus inquirat, ab uno effectu ad Numericam applicationem & experientiam provocet, vix vero conſtanter & patienter confugiat, & ex inſufficienti tali experientia innumera poriſmata ducat, trahat, fingat & pingat; aut res etiam adgrediatur ſine omni ſenſu & ratione, ex nuda experimentandi audacia & libidine; alterationes, quæ nullius utilitatis ſunt, annotet, & de illis faſtuoſe, operoſe, & luxurioſe, per centum imo mille ſpeculationes, nihil connectentes philoſophetur, & quidquid re ipſa atque actu ipſo non contingit, ultro, quo hæc Chimæra ſplendidior compareat, aliquid affingat, quod experientiæ tandem contrariatur, eandemque magis confuſam atque laceram reddit. Aut contingit etiam, ut una experientia confundatur cum altèra, quaſi neceſſario una alteram fideliter efficere, (modo ſemper illuſtrationes inde, ſed fide dignæ, ſperandæ & exſpectandæ eſſent,) ſuffulcire, fundare, & abſolvere debeat: inde artes, & artificioſa producta, ludicrè commiſcentur cum Natura, & proximis aut eſſentialibus naturæ effectibus: ut in futurum oraculo ex tripode opus ſit, quo exacte differentia inter artificialia & naturalia, inter res per naturam dirigi ſoli-

tas

tas, & arte confectas, & inveniatur & cognoſcatur: Quam quidem diverſitatem, etiam in curioſitate practica tenendam commendant viri magna curioſitate famigerati, *Malebranchius, Schottus, Sanctorius, Ramazini, Cranius* aliique; aſt modo ipſi non violaverint proprias ſuas animadverſiones & leges.

§ VI.

Promeruit hæc Curioſitatis conſideratio, penſitatam magis atq; attentam evolutionem in Medicinâ; unde cum de utili curioſitate in foro Medico peculiari labore agendũ ſit, ita de Medicina Curioſæ Medicinæ hoc loco agere præcepi; neceſſariũ propterea judicavi, quo de hac re ſeorſim diſſeratur, tanto magis cum vulgaris ἐυσχημοσύνη & πολυπραγμοσύνη in Medicina, non levia damna & offendicula obtulerit, ut propterea antiquæ veritates Medicæ, vel plane obliterentur, vel oblivionis peplo obtegantur, vel ad admirationem confundantur, imo pervertantur & retorqueantur. Unde ne novitates ſpecioſæ & ſcrupuloſæ proferantur, ſimplicioribus, planioribus, & veritati magis conſonis, reſpectibus opus eſt; neceſſe itaque fuit, quo a Viris ſolertioribus hæ veritates veterum, quaſi jam profundè ſepultæ, iterum revocentur, illuſtrentur, confirmentur, in ordinem conſpicuum & perſpicuum redigantur, & ita in realem Medicinæ utilitatem convertantur. Horum ductum ego ſecutus, dum in Theoria æque, ac uſu practico, ſive experientia, abunde perſpexerim tales nævos, ex triviali, & ſciola, ſeu glorioſa illa, curioſitate emergentes, quæ ſcientiam & artem Medicam hodienum, proh dolor, multum, & plus quam prioribus aut prioribus ævis, premit; Unde non modo neceſſarium, ſed & utile judicavi, quo tales Errores, ſi non alii videri velint, tamen certe Medici, id eſt, tales ſpeculationes & exercitationes, quæ, licet in ſua ſphæra culpari non ſemper poſſint, neque debeant, in medicina tamen ſentinam & abyſſum errorum & damnorum innumerorum ſtabiliunt, & conſtituunt,

 de-

detegantur, & excutiantur. Quamvis quidem me minime lateat, quam difficile ſit, hoc Augiæ ſtabulum repurgare velle; tantum vero præſtare ſtudebo, quantum & veritas meretur, & conſcientia indicat, & vires ſuppeditant atque permittunt.

§ VII.

Loquor vero de illa curioſa Medicina, quæ ægra, labilis, infirma, manca, ſterilis adeoque confuſa & perverſa eſt. Quæ propterea, Medicinâ, tam conſultatrice, quam auxiliatrice indiget; Qualis non alia eſt, quam ſimulata, diffuſa & vagabunda quædam cognitio, quæ poſthabitis proximis, utilibus, & neceſſariis, reſpectibus, in Obſervatione vitæ & ſanitatis, tam integræ, quam declinantis, tenendis, & inquirendis, in alia ſubjecta & objecta, ad hominem, neque ſanum, neque ægrotantem, præprimis non vivum, haud pertinentia, immerſa, ſimilibus exercitationibus & applicationibus intenta, plurimum rationibus a priori petitis, & ſpeculationibus innixa, & ſecundum has vacuas & ſuperfluas animadverſiones activa & operoſa, ἀλλότρια non raro tractans, ſcopum genuinum & unicè neceſſarium prætergreditur, & talia communiter committit, quæ ad Medicinam, ut talem, directe & proprie non pertinent. Talem ego appello Medicinam Curioſam, quæ Medicina opus habet, quam ſex modo verbis & quidem breviſſime, ſed veriſſime, ita definio, quod ſit *Tractatio rerum Medicinam directè non ſpectantium.* Ejusmodi vero res quadruplici reſpectu, medicinam non attinent; ut vel, *primò*, ad Medicinam, quatenus ars, ſeu habitus cum rectâ ratione effectivus, eſt, planè non pertineant; citra tamen directum & proximum damnum in Medicinam redundans, qualia poſſint adiaphora appellari, ſed hoc ſenſu *inutilem* reddunt curioſitatem medicam. Vel, *ſecundò* non niſi ad *paucisſimos* reſpectus medicos pertineant, vel *tertio*, medicinam magis pervertant, confundant, & proprie deludant: vel etiam *quarto* totam hanc artem dehoneſtent, & opprobriis craſſis exponant. Sunt vero tales res ſeu conſiderationes

nes

nes partim Theoreticæ partim Practicæ, partim denique quoad effectum ſcilicet & præſuppoſitam quandam applicationem, quam multi per oſtentationis ſpeciem, ita declamant, quaſi nullus defectus in tali curioſa medicina occurrere vel poſſit vel debeat, modo vero etiam non ſoleat, quod tamen eventus abunde conteſtatur. De talibus curioſitatibus itaque ſigillatim & per ſpecies agere integrum erit, quo eo magis verum à falſo diſcernatur: unde breviter, primò, morbum medicinæ Curioſæ denominabo, deinde medicinam hujus morbi ſuccinctè indicabo.

§. VIII.

Morbus curioſitatis medicæ eſt, ferme Endemius, quando Theoria Medica, è fundamentis vulgaris & trivialis doctrinæ Phyſicæ adſtruitur; unde ad nauſeam occinuntur cantiunculæ illæ, quod fundamentum Medicinæ, in Phyſicâ poſitum ſit; quod dimidius labor Medicinæ ſit Phyſica; quod nullus verus Medicus eſſe poſſit, niſi qui exactè phyſicam univerſam addidicerit & adhuc calleat; quod Phyſica ſit clavis Medicinæ &c. &c. Pertinent hæ perſuaſiones ad novitates medicas, dum ante tempora Philoſophiæ Carteſianæ & corpuſcularis, longe alterius indolis & faciei fuit Theoria medica: unde glaciem fregit ipſe Carteſius, quo magis magisque ex ſpeculationibus Phyſicis utilis medicina fruſtrata & inverſa fuerit; imo gerræ atque nugæ ſunt, ex veterum placitis talia corradere & conſarcinare, unde tota talis curioſa, glorioſa ſed otioſa medicina] offerri & obrudi poſſet: quamquam negandum non ſit, quod *Hippocrates*, *Galenus* horumque ſequaces varias phyſicas obſervationes & ſuppoſitiones, aſt non niſi generaliſſimas & ſimpliciſſimas expoſuerint & allegaverint; qui vero ex illis vere demonſtrare poterit, quod hi veteres Medicinam propterea Phyſicam docuerint aut inculcaverint, aut phyſicam eſſe debere Medicinam conſtituerint & ſuppoſuerint, erit mihi magnus Apollo. Nam de veteribus hiſce pro ſimpliciori ſeculi genio conſtat, & imprimis de *Hippocrate*, quod genericè pluribus ſuis tractationibus ad

cer-

certitudinem & veritatem experientiæ, & comparativam illius applicationem perſpexerit, ad obſervandam facti ſpeciem, ſive veritatem hiſtoricam circa τὸ ὅτι occupatam, quid videlicet in corpore humano fiat, contingat, & quid in individuis occurrat, quantum vero â famigerata hodierna corporis materialis & mixti conſideratione & ſpeculatione ſuo tempore aliena hæc ſit Medicinæ facies, hodierna lacera & confuſa hiſtoriæ medicæ conditio apprimè demonſtrat. Quando vero tam *Hippocrates* quam Galenus in phyſicas etiam contemplationes deſcendunt, vel in generaliſſimis citationibus & commemorationibus primarum ita dictarum elementalium qualitatum acquieſcunt, ſed ſemper ad hiſtoriam facti & experientiæ ſine diffuſione & confuſione plurium progrediuntur, & quid ipſo ſenſu, non vero nuda imaginatione, ſpeculatione aut poſſibilitate ſuppoſititia, percipiatur & obſervetur, allegant, aut quidquid de ſecundis qualitatibus ſubjectorũ materialium proferunt, illud ita ſimpliciter committunt, ut vel proximus progreſſus ad ſimplicem ſenſitivam obſervationem, vel ſimplicem practicam operationem, pateat, teſtimonio bilis, causticæ, ſubtilioris, aut ſeri acrioris, quorum humorum involutionem & tempeſtivam excretionem, uno veluti ore commendant, unoque teſtimonio urgent & deſiderant.

§. IX.

Talem modum atque terminum qui tranſeunt, committunt inutilem curioſitatem: Ubi ſane alienum eſt vel ad auctoritates aliorum, vel ſpecioſam conſtitutionem rei, provocare velle: quod enim auctoritatem concernit, quid communius eſt quam ad *Hippocratis* oraculum confugere, & inde demonſtrare velle, quod ipſe Senex, tamquam Medicinæ Dictator & Coryphæus, indixerit, inculcaverit, & abſolute commendaverit Medicinæ ſectatoribus, ut quovis ſtudio phyſicæ addiſcendæ incumbant, quo etiam trahi vulgo ſolent

pa-

paralleli illi Hippocratis textus: *Conare ut Phyſicus evadas; ubi deſinit Phyſicus, ibi inchoat Medicus* &c. quaſi hiſce ita ſtantibus, ne per conſcientiam quidem Phyſica à Medicina divellenda ſit. Sed ſi etiam hic Hippocratis animus & ſenſus fuiſſet, qui tamen minime eſt, quî congruerent illa teſtimonia *in Lib. de Natura hum. qui plus, quam ad Medicinam pertinet, audire avet, de Natura ſermonem haberi, illi nequaquam accommoda eſt mea Diſſertatio*: & *in Libr. de Priſc. Med.* ubi phyſicas ſpeculationes de homine ejusque generatione inſtitutas, arti pictoriæ comparat, quæ ſane contradictoria eſſent: hinc cum ad commendationem Hippocratis, qua ad naturæ humanæ, aliam, quam pictoriam, notitiam, plurimis locis adhortatur, & paſſim inter naturam hominis medicatricem, & inter naturam pro ſimplici genio veterum dictam, ſeu conſtitutionem corporis, ſedulo & accuratè maxime diſtinguit, & utriusque qualitates & affectiones notanter diſcernit, nequaquam vero petulanter, titubanter aut negligenter, uti quidem hodiernis ævis fieri ſolet, commiſcet atque confundit, ita certe longe aliud formandum erit judicium, ni præjudiciis contumaciter immerſi, fecibus ſuis phyſicis ita ſtrenue incumbant, ut tenebras magis ament quam lucem, mendaciis & fallaciis magis delectentur, quam veritatibus: ſpecioſis & umbroſis poſſibilitatibus magis innitantur quam demonſtrationibus & ita ſemper peregrinis plumis ſuperbiant.

§. X.

Et poſito, aſt minime conceſſo, Hippocratem etiam ita ſenſiſſe, quod phyſica vulgaris fundamentum Medicinæ eſſe debeat, an non hæc *duo* præcipuè obſervanda & dijudicanda adhuc occurrunt? *primo*, anne omnia Hippocratis effata, oracula, aſſerta & placita propterea infallibilis & indubiæ veritatis exiſtant? In quo auctoritatis præjudicio non pauci hærent, qui propterea talia pro veris aſſumunt & impudenter etiam defendunt, quia ſunt Hippocratis: ubi præprimis dijudicatione opus eſt, in defendendis & conſervandis vete-

rum

rum ſententiis, an nimirum non credula quædam ſimplicitas talium aſſertorum fundamentum ſit, an ſententiæ tales ad amuſſim & rationi ſanæ & experientiæ fidæ reſpondeant, & inter utramque nexum juſtum tueantur, ſubeant & ſtabiliant, an non placita talia in generalioribus & rerum ſpecies nihil attinentibus conceptibus ſubſiſtant, an non ſuperſtitionibus antiquitatis nitantur, an non in nuda imaginatione & opinione hæreant &c. in hiſce enim ſi defecerint Hippocratis ſententiæ, quis ita contumax & alienus fuerit, ut ab auctoritate hac non diſcedat, quia Hippocratis eſt, cum nulla neceſſitas aut utilitas urgeat tanta tenacitate in verba Magiſtri jurare. *Secundo*, ſi Hippocrates de ſuis reſpectibus phyſicis aſſeveret, quod ad Medicinam conferri debeant, quo jure quisquam poſſit applicare recentiores ſpeculationes ad antiquas, aut aſſeverare, quia Hippocrates Phyſicam pro parte Medicinæ ſuppoſuit, ergo debet eſſe phyſica Ariſtotelis vel Carteſii, vel Eclectica vel Gaſſendi, vel alterius: ita committitur confuſio ſpeculationum hodiernarum & novationum, cum priſcis ſimplicisſimis conceptibus & ima ſummis miſcentur.

§. XI.

Sicuti vero omnis inutilis πολυπραγμοσύνη fœtus eſt humani lapſus, ita recenſita talis phyſica curioſitas, effectus & actus animi otioſi, luxuriantis, & in res multas ac alienas diffuſi extravagantis exiſtit; quæ ne ita generatim ſupponantur, neceſſe erit paullo preſſius talem infirmam medicinam curioſam phyſicam exponere. Prout vero vulgo Phyſica duo ſubjecta tractat, nimirum *Motum* & *Materiam*; ita in utroque curioſe ad Medicinam applicando occupata eſt: quod enim materiam concernit, tunc variæ curioſitates committuntur in conſideratione corporis humani mixti, dum in principia ita dicta conſtitutiva, varii laborioſè inquirunt, eorundem fixitatem, volatilitatem, aut ſtatum medium, evolvere & explicare contendunt, quâ figurâ hæc cohæ-

cohæreant, quo ordine contiguum quoddam conſtituant, quo modo inter ſe invicem mixta ſint, quo numero concurrant, & ita unam partem ab altera diſtinguant, aut quomodo una materia alteram conſervet, alteri ſe ita inſinuet ut alias, inſultantes, noxias, & heterogeneas ſubſtantias avertant, quomodo alia materia poſſit eſſe balſamica & conſervatoria, alia vero deſtructoria, quid aëris materialis concurſus ad mixtionem corporis conferat, quid ſubſtantia ætheris contribuat, quo modo particulæ ratione figuræ ſuæ conſtitutæ ſint, ſi prodeſſe aut nocere debeant, an acuminatæ, cuſpidatæ, bicuſpidatæ, acutæ, rotundæ, conicæ, cubicæ, cylindricæ, polyedræ &c. quomodo cohæſio connexarum talium materialium ſubſtantiarum adjuvetur & ſuſtentetur, mediante extrinſecus adveniente compreſſione, & deſtruatur interna quadam divulſione &c. quomodo ſeparatio & ſequeſtratio materiarum à ſe invicem vel gravitate & ponderoſitate, vel figura, pororum figuris appropriata, nitatur, & qui varii alii paralogiſmi adhuc occurrunt. Singulæ hæ ſpeculationes magis ad artem pictoriam pertinent, ut cum Hippocrate loquar, quam ad artem Medicam: nam licet hæ contemplationes uſu reali penitus deſtitutæ ſint, tamen adhuc in quæſtione eſt, an hæc ſuppoſita ita ſint, ita fiant & procedant & non aliter, an circumſtantiæ in homine vivo concernendæ & debite conferendæ fluant è conſideratione corporis mixti: Et cum Medicinæ ſubjectum ſit corpus vivum, id eſt, motibus vitalibus inſtructum, cum medicinæ objectum ſit vita & ſanitas, vel illibata vel declinans: ita fruſtra hi conceptus de corpore ut mixto, ad medicinam applicantur; imo cum vita & ſanitas non dependeat formaliter à materiali & mixto corporis ſtatu, ita nihil confert aut refert ſuperiores ſpeculationes phyſicas in medicina noſſe: talia vero ſi Medicus intelligit, non ut Medicus circa eorundem conſiderationes verſatur, ſed ut Phyſicus.

§. XII.

Aequales ferme Paralogismi occurrunt in Phyſicæ *Motus* Theoriæ applicatione ad Medicinam: loquor vero hac occaſione de motu phyſico, ſive de phyſica motus conſideratione & explicatione, quoniam notabilis & magna diverſitas inter phyſicos & vitales motus occurrit: dum enim phyſici motus, vel extra ullos fines progrediuntur, ut motus lapidis ex alto, motus ſubterranei, motus aëris, ætheris, in vento, pluvia &c. vel ſecundum immutabiles divinas leges ſuccedunt, & quoad poſteriorem ſenſum naturam ita dictam macrocosmicam conſtituunt; motus vero vitales ſunt tota ſua eſſentia finales, ſecundum quorundam phyſicorum non alienam explicationem, à cauſa morali pendentes, quoniam nullus finis, neq; in materia, neq; in motu, ſed in rationabili motus directione ad convenientem & utilem effectum conſiſtit: propterea iniqua ſane eſt illa curioſitas, quæ motus ſimpliciter phyſicos ad œconomiam corporis vivi transfert, & motus inordinatos & non finales cum proportionatis & certis finibus obtinendis, adæquatis, confundit, ſub lepida illa perſuaſione & rhetorica comparatione Macrocosmi & Microcosmi, quaſi propterea proceſſus & progreſſus Macrocoſmi ita conſtituti ſint, ut ſint norma ſucceſſuum & progreſſuum in Microcosmo, cum tamen in Microcosmo leges Naturæ alterius ſint indolis, ut pote in animato ſubjecto ſervandæ, ac in inanimatis Macrocoſmi, quantum quidem conſtat, ſubjectis.

§. XIII.

Finguntur adhuc multa alia, imo ad tabulam velut pinguntur, ad augendam & illuſtrandam hanc curioſitatem directa, videlicet de influxu & concurſu motus aeris & ætheris, elaſtico, compreſſorio & expanſorio, rarefactorio & condenſatorio, ad circulum & progreſſum ſangvinis, & actuanda varia organa, ut pulmones & cor; ad diſponendas varias ſe- & excretiones, nudâ neceſſitate materiali, & machinæ

cor-

corporeâ proportione: ad diverſas fermentationes, ebullitiones & orgaſmos ſangvinis, qui ſinguli effectus perperam motui alicui nude phyſico indiſcretim adſcribuntur, dum circumſtantiæ in hiſce actibus vitalibus eorundemque effectibus & conſecutionibus obſervandæ, communiter talibus exquiſitis, & finibus ſuis in genere ſalutaribus, plurimum quadrantibus, ordinibus, methodis & proportionibus innixæ & fundatæ, numquam â motibus extrinſecis, adventitiis & inordinatis derivari, deduci aut deſcribi queant: niſi (quod etiam commune eſt talium ſuppoſitionum fatum) generaliores quædam, nudis poſtulatis inhærentes, & mille petitionibus principii, contradictionibus aut ſtupidis admirationibus, aut undique corraſis rariſſimis, nec probatæ fidei, exemplis, & ſimilitudinibus valde claudicantibus incumbentes, theticæ explicationes, loco demonſtrationum ſolidarum obtrudantur; ita tamen poſtea tale glaucoma totam rationabilem artem medicam deſtituit, ut nullum ſuppetat vel conſilium vel inventum, quomodo ſteriles tales conceptus, ad ordines motuum vitalium, in Medica arte (quæ proprie Medicinam efficit & conſtituit, modo rationabilis ſit) connecti & applicari queant debeantque: hinc illud opprobrium, quod alia ſit Theoria, alia Praxis Medica, quod optimus Theoreticus ſit peſſimus practicus, quod medicina ſit ars conjecturarum ſeu conjecturandi, quod Medici in nulla re certitudinem aſſequi poſſint, quia fluxis, lubricis, inſtabilibus & incertis talibus fundamentis inhæreant & indulgeant.

§ XIV.

Omnium maxime vero hæc curioſa phyſica Medicina plauſtris imaginariarum poſſibilitatum oneratur, quod præcipuum medicinæ tam theoreticæ quam practicæ damnum exiſtit; nam ſi longe lateque talis curioſa ſpeculatio vagatur in phyſicas inquiſitiones, principiorum corporis humani, eorundem ſtatum, numerum, connexionem, commixtionem, relationem mutuam: nullum aliud ex hâc corporis

ris mixti animadverſione, fluet concluſum, niſi quod mixtio animalis indies corrumpi, putrida diſſolutione deſtrui, & vel ſpontè, citrà concurſum aliarum cauſſarum, quæ ſimilis conditionis & efficaciæ eſſent, dilabi poſſit: De qua tamen ſpeculatione logices tyrones ſtatim aſſerere ſciunt, a poſſe ad eſſe non valere conſequentiam: & quod actu ita frequenter non contingit, de eo fruſtra metuit, eidemque fruſtra tam anxie reſiſtit & repugnat Medicus: quod præprimis valet de mortifera illa ſphaceloſa putrida corruptione, de qua quidem exempla paſſim inter Medicos occurrunt, ſalva tamen hac theſi, quod ſphacelus ſit affectus rariſſimus: unde illi mihi videntur ruſtico more, & pro toto ſuo ſtupido genio nimis vapide & craſſe oppugnare; quia hic, ille, tertius aut quartus, ſemel, bis, ter, quater ſphacelum obſervavit, ergo eſt affectus frequens, quales magis riſu, quam reſponſione digni: Et aſſertum de raro Sphaceli eventu, elementa numerorum diſcentibus pueris perſpicuum, intelligere, penitus non homines ſatis ſunt.

§. XV.

Quemadmodum vera ipſa genuina morbi alicujus indoles generales medicationis fontes indicat, ita hic modo deſcriptus morbus inutilis Curioſitatis Phyſicæ in Medicina facile exponit & denunciat Medicinam, qua huic Medicinæ Curioſæ ſubveniendum eſt. Vulgare quidem eſt Medicorum effatum, qui facile cognoſcit, facile curat, quod vero ad hanc phyſicam notitiam extendendum non eſt, alias ipſo facto confirmatur veritas alterius cujusdam dicterii, quod optimus Theoreticus ſit peſſimus practicus; unde in hoc paſſu, ſinceræ veritati, & veræ ſinceritati magis conſonum eſt illud: qui bene diſtingvit, bene docet, bene connectit, bene concludit, bene comparat, bene applicat, & per conſequens bene & prudenter curat, dum non lubricis, ſalebroſis & fluxilibus opinionum turmis, ſed veris, rationabilibus & hiſtoriæ facti congruis fundamentis innititur: id

quod

quod etiam in invenienda & exercenda medicina, pro hac Medicina Phyſico-curioſa valet.

§ XVI.

Non quidem hæc mihi mens aut ſententia imputanda eſt, dum aſſevero, quod eximia differentia ſit inter Theoriam κατ' ἐξοχὴν medicam & phyſico-medicam, imo quod vulgaris Phyſicæ connexio cum Medicina inutilem curioſitatem oleat; quaſi propterea totam directam, propriam, phyſicam notitiam, improbem, aut Medicis intelligendam plane denegem; quod tantum a me abeſt, talia audacter ſupponere, ac alia ad τὸ ἐν ἐναι pertinentia reprobare velle: unde Medicus phyſica cognitione, ad ornamentum magis inſtructus eſſe debet, non vero quaſi in Medicina obviæ circumſtantiæ ad ſtateram & normam phyſicam, ponderari & commenſurari *neceſſario* debeant; licet adhuc multum diſſonent hæ phyſicæ explicationes, inter ipſos phyſicos, ut, qui aliquid calidum appellat, illud alter frigidum vocet, in quo ut in variis aliis, etiam ad medicinam pertinentibus defecit ſubtilis ille, quantum quidem videri voluit *Cardanus*: ut propterea *Scaliger* in *Exercitationibus ſuis contra Cardanum* eundem paſſim carpere neceſſe duxerit; quem etiam inter alia invehit, dum in frigoris theoria & applicatione delinquit, unde in *exercitatione XVIII. eloquitur: abiice ſoleas & pileum Cardane, quo tempore ex alpibus rhæticis urit vos Boreas, frigidus enim & ſiccus eſt.* In quantum enim Medicus Phyſicam doctrinam excolit, in tantum non ut Medicus, ſed ut phyſicus conſiderandus eſt, v. gr. ſi differit de principiis & particulis, harumque figuris in medicamentis obviis: ſane exinde non pernoſcit, nedum invenit efficacias medicamentorum, nedum quidem eorundem modum adhibendi: dum enim purgantia, Sal quoddam ſtimulans, cauſticum, & irritans, aut particulas valde acuminatas habere creduntur, ita alia ſubjecta ut piper, caryophylli aromatici, arum, armoracia, Zedoaria, Pyrethrum, ſalia alcalia,

Tin-

Tincturæ alcalicæ, (quarum quædam ita acres ſunt, ut veſicas in lingua excitent,) imo ipſæ aquæ fortes, reperiuntur, quæ ſingula vero nullum catharcticum effectum poſt ſe trahunt; tam irrationales communiter occurrunt etiam illæ differentiæ, quæ magis ſuppoſititiæ exiſtunt, quam veræ & reales v. gr. Si hæc ſalia purgant, hanc habent figuram, ſi alium effectum edunt, aliam figuram poſſident, & quæ ſunt aliæ tales ſuppoſitiones irrationales & claudicantes.

§. XVII.

Hinc optima illa mihi eſt, pro hac ſterili curioſitate, Medicina, ſi phyſicæ conſiderationes ita tractantur, ut ad meliorẽ medicum, ſubjectorum & objectorum obviorum, intellectum perveniamus; v. gr. ex Phyſica Theoria fluunt hæ propoſitiones. 1) Corpus animale mixtum propriè eſt. 2) Hæc mixtio conſtat ex principiis aquoſis, pinguibus, terreſtribus. 3) Hæc principia vero malè cohærent, quia pinguedo tenuis & aqua vel ſponte à ſe invicem ſecedunt. 4) Unde tota mixtio animalis eſt valde corruptibilis, ita ut 5) ſponte indies corrumpere & corrumpi poſſit, tanto magis cum 6) Indies concurrant ex aëre, cibo & potu, aliisque intermediis cauſis, ejusmodi occaſiones, hanc divulſionem promoventes, inducentes & foventes; unde 7) corpus tam infidæ mixtionis, ſe ipſum â corruptione defendere non poteſt, ſed aliunde conſervatorio hoc actu indiget; evenit vero 8) ut corpus illud ex efficacia & indole τῦ Vivi, non modo à corruptione tali, in quam tota ſua eſſentia & conſtitutione corporea ſeu Phyſicè materiali, propendet, præſervetur, ſed quod adhuc magis eſt 9) ita præſervetur, ut rarisſimè in talem corruptionem prolabatur, in quam tamen tam ſtricte inclinat; quapropter hæc conſervatio 10) non ex phyſica materiali corporis conſtitutione, & nudo concurſu phyſico, aut generalium motuum phyſicorum contactu & efficacia, ſed aliunde dependet; cum vero 11) Medicus non circa principia corporis humani verſetur, ſed circa ejusdem

vivacitatem, vitam & ſanitatem, ita 12) neglectis in Medica conſideratione hominis, phyſicis hiſce ſpeculationibus, ad cauſſam & formam conſervationis corporis nihil contribuentibus, aliam vitæ æſtimationem & intellectum aſſequi debet. Brevis hæc demonſtratio exempli loco ſuppeditata eſt, quomodo in aliis etiam circumſtantiis curioſitates phyſicæ Medicum impellere debeant, quo, non quidem ex illis ipſis curioſitatibus, ſed aliunde, ad veritatem puram & ſinceram pertingere queat. Aſt ne uni rei diutius inhæream, ad alia propero; licet ſolum in qualibet animadverſione breviſſimas demonſtrationes & conſiderationes offerre ſatis ducam.

§. XVIII.

Morbus etiam medicinæ curioſæ hodiernis temporibus epidemicus eſt, qui à priori non parum abludit, quando corpus viuum & ratio vivi ad normam *Menſuræ, Numeri* & *Ponderis* nimis rigoroſe & præjudicioſe examinatur, quam conſiderationem vulgo *Mechanicam* vocant. Ubi magnus abuſus occurrit merito reprehendendus cum dicterio illo Sapientis viri in *Libr. Sapientiæ cap. XI.* 22. quando dicitur: Tu omnia ordinaſti, menſura, numero & pondere: tanquam ſingula omnibus his ſimul comprehenſis, ordinata ſint; quaſi non unum ſubjectum menſura, alterum numero, tertium pondere, quoddam menſura & numero ſimul, & ſic porro ordinatum eſſe posſit: deinde quis ita audacter præjudicioſus eſſe contendet, aſſeverare in hiſce verbis fundatas eſſe hodiernas mechanicas ſpeculationes, corporibus animatis vulgo immiſceri ſolitas, & ſic adornare velle conceptus vagi animi cum autoritate divinæ inſpirationis, ſive hagiographæ revelationis: quæ utraque præjudicia, in hac curioſitate antea removenda ſunt.

§. XIX.

Quod vero τȣ̃ Mechanici antiquam acceptionem attinet, oblectant adhuc animum, quæ obſervare licuit in *Diſp.*

Excell. D. Præſidis de Obſtructione vaſorum ſanguiferorum, ubi ex *Lipſii Poliocreticis Libr. I. Dial. III.* τὸ Mechanicum *ingenioſum* olim dictum fuiſſe allegat; quo pertinet, quod *Lipſius* ex *Aſconio* refert, dum dicit: *Machina eſt ubi non tam Materiæ, quam ratio artis atque ingenii ducitur*, & ex *Hegeſippo Lib. IV. c. 4.* quod Nero *manganum quoddam ſibi de ligno parauerit, quo ſe necaret*, ſcilicet activè, non, cum quo necaretur, neque quod ipſum necaret, ſed quo, convenienter applicato, vitam ſibi eriperet: unde etiam machina comprehendit ſubjectum artificioſum, ab ingenio & ratione inventum, elaboratum ac ad præſtandos certos motus diſpoſitum, non vero ad abſolutè obtinendos, per ſe & ſimpliciter, in ſe conſiderando, reſpectus finales, aptatum: inde etiam ortum duxiſſe, Laudatus Vir aſſerit *Ingeniarios* illos, quos Gallica lingua per *Ingenieurs* exprimit. De hac appellatione τοῦ Mechanici & Mechaniſmi ſcribit *Schelhammerus in tractatu de Natura ſibi & medicis vindicata*, cum inter *Sturmium, Boyleum, Leibnizium* & *Schelhammerum* concertatio circa Naturæ ſignificationem, & hujus ſignificationis conſervationem orta eſſet: *Mechaniſmi notio longe pejor eſt, quam Naturæ, ſiquidem vox, præterquam barbara, inuſitata & abſurda eſt, inſuper etiam minime exprimit, quod per illam exprimendum eſſet, eſtque à naturæ ratione admodum diverſa, & præterea tralatitia & impropria, quippe quæ ex arte manifeſto transfertur ad Naturam, quum μηχανὴ omnibus græcis & latinis vel artificium, vel arte factum notat*: alibi in eodem tractatu repetit: *Mechaniſmus quid ſit, non intelligi quidem poteſt, adeo præter omnem linguarum rationem fictum eſt vocabulum.* Poteſt interim τὸ Mechanicum appellari, proportio materiarum tam ad ſubeundum, quam etiam transferendum, aliquem motum, per materiarum ita diſpoſitarũ aut configuratarum connexionem & dependentiam: ubi omnino & ingenio & ratione opus fuit; quo materiæ tales ita aptentur, coordinentur,

diſpo-

diſponantur, conſtruantur & jungantur, ut talis ſpecies motus, talis ſucceſſus & progreſſus motus, imo generalis effectus, & eventus inde pendeat.

§. XX.

Sed evenit huic tractationi vulgari Medico-mechanicæ curioſæ, quod olim *Seneca in Epiſtolis*, dixit, *turpiſſimum eſt, quod nobis objici ſolet, verba nos philoſophiæ, non opera tractare.* Offendit hoc damnum etiam Medicinam, quando tot ingenioſæ inventiones & ſpeculationes mechanicæ, mente excogitatæ, efficta, aut neſcias, unde & ex quibus angulis fabricarum conquiſitæ, ſpecioſis titulis, declamationibus, & encomiis, verbis magis quam realibus demonſtrationibus, & practicis connexionibus & confirmationibus ad corpus vivum transferuntur: ubi tot res dubiæ pro veris, tot imaginariæ pro certis efferuntur, ut conſultius fuiſſet ſecundum *Becmannum in Doctr. mor. in re dubia nihil certi determinare:* & ad *Epicuri* monitum, *non vanis gaudere*, dum vana hæc omnia fiunt, quæ ſub tantis hiatibus atque laceris deductionibus ad corpus vivum ita applicantur, quaſi hi motus vitales, eorumque ordines nudis mechanicis neceſſitatibus & qualitatibus partium & corporis mixti nitantur, ut nullo ſuperiori activo, antè omnia activè movente, principio, aut Motum dirigente, diſponente, regente, gubernante, Energiâ opus ſit: Ibi quidem ut *Senecæ* verbis utar, *non in rebus, ſed in animo*, has res male applicante, vitium hæret.

§. XXI.

Magna, hujus morbidæ curioſitatis, Medicina eſt, exactè & rationabiliter intelligere & noſſe, indolem & conſtitutionem, quin & ipſam differentiam *Organiſmi* & *Mechaniſmi*: hæ enim actuum organicorum conſiderationes, uti, ab ipſa antiquitate pendent, ita novas has mechanicas ſpeculationes, ætate & autoritate ſua ſuperant: & ſi hoc etiam deficeret, ipſa ratio ſana hoc cognitu neceſſarium diſcrimen, abunde inculcat: Nam utilis illa Organiſmi conſideratio in

medicina tantum juvat, ut agnoſcamus in corpore vivo adeſſe directori cauſam & Energiam activam, ad agendũ, & non agendum, indifferenter habilem, & compotem, non à conſtitutione partium abſolutè pendentem, (uti nulla machina, cujuscunque etiam fuerit admirandi artificii, ſe ipſam ad effectum illum curioſum & admirandum, dirigit, nedum quidem ad ullum *finem*, niſi artifex illam materiarum mutuam proportionem, nunc ita diſponeret, ordinaret, dirigeret, ut hic *motus* per illam machinam, ita & non aliter, ad hunc & non alium uſum, *finem*, ſcopum &c. ſuccederet) ſed harum partium & hujus corporis mechanicam conſtitutionem & diſpoſitionem ita applicantem, actuantem, inſtruentem, quo hic finis & effectus juſtus, ſub hiſce motuum proceſſibus, obtineatur. Nam quemadmodum motus vitales, non fortuiti, non adventitii, non vagabundi, non extravagantes, ſed *finales*, reſpectivi, ad conſervationem corporis tendentes & collineantes, ſunt; omnis vero ratio & conſideratio *finium*, imo productio & proſecutio *finium*, uti jam veteres Philoſophi aſſeruerunt, infert reſpectum & cauſſam *moralem*: ita hi fines vitales, per motus vitales obtinendi, non ita ſtupidè, partium conſiderationibus nude adſcribendi, nedum directorium illorum motuum ſimplici materiarum connexioni audacter & contumaciter aſſignandum eſt, ſed hoc ipſum, uti ex indole Organi fluit, & philoſophi inſtrumentum definiunt, (quod ſit ſubjectum ab altiori principio, ad certos fines, actuandũ & applicandũ), influxum principii, moraliter activi, ad *fines* motus recte inſtruentis & partibus, mechanicis habilitatibus, ſeu *agilitatibus*, diſpoſitis & inſtructis, *motus* congruos immittentis, involvit & præſupponit.

§. XXII.

Quare inutilis eſt curioſitas, ex ſpeculationibus mechanicis, ſtaticis, opticis, hydroſtaticis, Mathematicis &c. judicare; ergo hæc, quæ in corpore humano fiunt, quia partes ſingulæ habent mechanicam diſpoſitionem, nudè mecha-

nice

ſine contingunt: ergo corpus *ſe ipſum* movet, *per ſe* fines hos aſſequitur, ob configurationem & connexionem talem artificioſam partium hoc ordine tales effectus obtinet: Quin à veritate alieniſſimum eſſet, principium *vitale* vocare: juſtam diſpoſitionem partium corporis, tamquam elateriorum, filamentorum, funiculorum, catenularum, trabium, vectium, rotularum, ciſternarum, antliarum, canalium, cataractarum, valvularum, cribrorum, und wer weiß noch mehr; aut ex machiniis, pnevmaticis, hydraulicis, Manganariis, neuro-ſpaſticis, automaticis, thaumaturgicis, ſtrictam applicationem ad corpus vivum formare. Sic enim confuſio Mechaniſmi & Organiſmi, in perpetuum ſuccedet. Quo pertinet quod *Seneca in libr. de Ira profeſſus eſt: inter cætera mortalitatis incommoda, non tantum eſt neceſſitas errandi, ſed errorum amor.* Similiter hic error non modo aſſervatur, ſed & propagatur, & novis aliis ſpeculationibus & extravagantis ingenii inventionibus augmentatur: quamdiu enim machina quædam, (licet mechaniſmum ſuum habeat, & mechanicam *diſpoſitionem* tueatur,) ad *fines* utiles non dirigitur, (& quidem â principio intelligente finium, & hujus machinæ habilitatum gnaro,) *motus* conveniens ipſi non immittitur, & ita generaliter, *motus* hic in machinam non inducitur neque ita diſpenſatur, quò hos effectus edat, qui ad præfixos fines neceſſarii ſunt, tamdiu nullius utilitatis eſt: ſi v. gr. horologium portatile ſolum ſecundum ſuum mechaniſmum moveretur, motus illi eſſent ſteriles, vani, nullius uſus, ludicri, & tota hæc machinula, ſi ita agitaretur, ex mechaniſmo ſuo, eſſet parvi pendenda; quamprimũ vero motus illi ad certas horas diriguntur, ex eo horologium non ampliùs nuda machina eſt, ſed Organum, quo utitur homo ad pernoſcendas rationes temporis atque horas.

§. XXIII.

Sic nimium quantum craſſum eſſet, ita curioſitati inhærere, ut, quidquid ſolum in vagum ingenium, & ſenſus ma-

lè ordinatos incidit, illud ſine omni judicio, & indiſcretim, ad corpus vivum applicari debeat; ſub illa lepida analogica applicatione, quod, quemadmodum hæc fiunt in hac aut illa machina, ſic hic aut ille actus & effectus vitalis, ita, ut in hac Machina effectus procedunt, contingat; Unde per omnem vim, automatici eſſe volunt; & quamvis curioſitati tali incumbentes hi, cum ratione præditi ſint, omnem tamen rationem abnegant, & mere paſſivè trahi, duci & moveri volunt, quavis opera & inventione humanitatem ſuam exuentes, & materiarum qualitatibus & affectionibus ſeſe ſubjicientes; cum tamen Oeconomia vitæ, proprias ſuas leges, fines, uſus, & effectus habeat, & nulla neceſſitas urgeat, quo cum anxio rigore hæc nudis paſſivis contingentiis aſſimilentur. Tantum enim effecit hæc curioſitas, ut aliæ nunc diſciplinæ, ad Medicinam directe non ſpectantes, in Medicinam hoc modò verba ſua miſcere queant, ſed &, quod magis eſt, prærogativā habere contendant, quaſi Medicina hiſce ſpeculationibus carere non poſſet, quaſi ita infirma eſſet ejusdem Medicinæ Sphæra, ut aliena miſericordia vivere teneatur, & proxima ſubſidia ex aliena penu mutuare debeat. Pudeat vero talia de Medicina effari; nam quamprimum Carteſianæ ingenioſitates & inventiones in Medicinam tractæ fuere, ab eo tempore, & Phyſica, & Mechanica, & quidquid cum hiſce cohæret; in nimium faſtum degeneravit: ſuppetunt vero per Dei gratiam, talia adminicula, quibus Medicina iterum repurgari, & ut ſui juris ſit, fiat, maneatque, confirmari poteſt, modo primùm hæc curioſitas mutetur, & τὸ organicum cum mechanicò non inconſiderate confundatur: ſic melior futura ſperanda eſſet Medicinæ tam Theoreticæ quam Practicæ facies.

§. XXIV.

Tantum vero abeſt, ut hujus induſtriæ & conſiderationis Mechanicæ vel tractationem in genere, improbem, vel cognitionem & intellectum, ſub Theoria Medica, reſpuam; quin

quin potius comprobem, quod multorum phænomenorum in corpore vivo obviorum, modus fiendi quidem ſit mechanicus, ſed non modus eſſendi. i. e. quod multorum motuum ſucceſſus & effectus, ſit mechanicus, non æq; vero eorundem deſtinatio, ordo, applicatio, & directio: ſemper enim obſtat hæc conſideratio: corpus quidem noſtrum inſtructum eſt diſpoſitione mechanica, aſt citra ullam quandam neceſſitatem phyſico-mechanicam, quaſi abſolutè ita & non aliter *moveri* debeat, aut non aliter moveri *poſſit*: cum contrarium ferè in craſſiſſimos ſenſus incidat, quod corpus noſtrum æquè facilè ſiniſtrè atque dextrè, incongruè ac congruè, perverſe ac ordinate, & quidem ſecundum hanc ſuam *mechanicam* diſpoſitionem, moveri poſſit: dum vero in ordine & œconomia vitali, corpus hoc animale, ordinate, legitimè, congruè, exacte, proportionate, in quantum ad fines ſalutares obtinendos & neceſſarium & conveniens eſt, movetur & actuatur, ſane maxima injuria eſſet, nihilominus ſupponere & audacter defendere velle, hæc ita ordinate fieri, quia corpus eſt mechanicum; cum tamen corpus mechanicum hos ordines, finibus hiſce conformes, non diſponat, nedum neceſſitet; ſed hæc ſingula organicæ ſint rationis & conſiderationis, non nude mechanicæ; ob id etiam evenit, ut, qui bene diſtinguit, bene doceat, & qui bene cognoſcit, bene etiam curet, ſi tales curioſitates non præjudicioſo & præcoci animo quaquaverſum immiſcentur & confunduntur; unde in hiſce conſiderationibus & continentia & prudentia opus eſſe iterum aſſevero: non enim ſufficit dicere, & per petitiones principii toties declamare, hæc & illa fieri *neceſſitate* mechanica, ſed hic valet illud; da demonſtrandi. Cum vero demonſtrationes plurimum non alterius furfuris ſint, ac axiomata ipſa, ita tota talis ſpeculatio, ubique titubat & hæſitat: unde etiam *Leibnizius in Specimine dynamico Actor. Erud. Anno XCV. Menſ.*

April.

April. Mechanicæ prudentem uſum, & generalem applicationem, *circumſpectam* commendat.

§. XXV.

Hiſce curioſitatibus Mechanicis, vulgò fidas manus præbere jubetur, *Anatomia*, ſeu artificioſa corporis diſſectio; quo in hac detegantur talia myſteria, ex quibus plures elateres fingi & pingi poſſint. Unde evenit, ut Anatomia per aliquod tempus multas ſteriles curioſitates pepererit & obtruſerit. Quare neceſſe erit, quò etiam breviter de hoc morbo agam. Dum enim Anatomia, artificioſa corporis diſſectio eſſe debet, ita obtigit huc usque, ut unus alterum artificio ſuperet, & in ſingulas minutias, & inutiles atque ſteriles, & viſiones, & obſervationes, inquirat; remanentibus tamen tot dubiis vexatis, quæ illis exclamationibus anſam præbuerunt, modo nobis artificioſiſſima, formoſisſima, ſapientisſima, elegantisſima, ordinatisſima, (& neſcias quæ adhuc ISSIMA) textura & ſtructura corporis animalis accuratè, ſtrictè exquiſitè, exactè, &c. innoteſceret! Uti vero hodiernis ævis ita deperditæ ſunt res humanæ, ut & neceſſaria & utilia, & plana & conſpicua, negligentius tractentur, ita hoc damnum etiam Anatomiam noſtram curioſam premit, in qua ſolum mera artificia, & arcana ſubtilia, & inaudita, declamantur, quaſi hæc eſſet illa utilis curioſitas à Medico addiſcenda & tractanda, poſthabitis tamen illis, quæ paullo magis ad medicum ſcopum contribuere poſſent.

§. XXVI.

Erronea itaque curioſitas eſt in Medicina, quando vel in minutias illas & ſubtilitates anatomicas delabimur, inquirentes ſubtilisſimam fibrillarum connexionem, figuram, teneritudinem, & tenerrimorum vaſculorum propagines, partium & humorum exquiſitisſimam figuram, etiam per Microſcopium detegendam, omnium membranularum ordinem, ſubtilisſimarum glandularum ſeriem, numerum, ſitum,

nervu-

nervulorum exiliſſimorum diſtributionem exactiſſimam, porulorum diſcretam figuram per conſpicilla inveniendam, & quæ inventis talibus paſſim adhuc addi ſolent, ex præparatis curioſè obſervata: vel quando alia etiam artificia anatomiæ tali curioſæ jungimus, ſi genus nervorum maxima patientia & cura ſeorſim ſeparamus, aſſervamus, & ut rem admirandam demonſtramus; ſi genus arterioſum & venoſum, vel cera vel argento vivo opplemus, & aſſervamus, & per oſtentationem hæc ad Anatomiam & Medicinam referimus; quaſi hæc, aut alia ita dicta præparata illa eſſent, quæ Medicus noſſe neceſſariò debeat; Cum tamen ſint inutiles atque ſteriles curioſitates, ſenſus quidem occupantes, oculos explentes, ſed animum à ſolidioribus, magisque ſerioſis, detinentes aut planè confundentes. Si quidem non tam Medici, quam phyſici uſus eſt, noſſe intimiorem & magis exquiſitam texturam & conſtitutionem materialem corporis animalis: hæc enim notitia & curioſitas, minime inſtruit medicum, qui læſionibus, in tales partes, quocunque tandem modo, illatis, ex hac ſubtiliſſima texturæ cognitione ſubvenire debeat: provoco hic ad illud documentum, quod *Excellentiſſimus Dn. Præſes* in initiis *Pathologiæ* Medicæ ſuæ, exempli loco proponit, de vulneris in parte muſculoſa conditione & cognitione curioſè phyſica, quomodo in illo fibrillæ è priſtino nexu atque coalitu ſuo redactæ, inciſione tali transverſim inflicta diſſolutæ, & in ſocio etiam uſu phyſico læſæ ſint: in hoc paſſu ſi anatomicus ſciret numerum & figuram & ordinem fibrillarum, ex qua notitia concludere etiam poſſet, ſi hic muſculus iterum priſtinam ſuam conſtitutionem nanciſci deberet, neceſſe eſſe, quo fibrillæ diſciſſæ, in hoc ſuo certo numero ita amuſſim iterum connectantur, ut una fibrilla cum extremitate ſua, alterius antea ſociæ, extremitatati conjungatur & conſolidetur, ſi totus muſculus iterum ſui juris & uſus eſſe debeat: ſed quo tandem omnis

E hic

hic apparatus verborum Anatomico-phyſicus? nonne hæc in Medicina, ex hac notitia, imitatu & exercitu ſunt impoſſibilia? quam tandem talis anatomico phyſica curioſitas utilitatem conferet ad Medicinam? ſane nullam! Unde ne utilis, vera, & digna Medicina deſtituatur & confundatur, neceſſarium omnino eſt, quo hæ vulgares curioſitates à Medico foro diſtinguantur, & in ſua ſphæra tractentur, de qua re egit etiam *Excell. D. D. Alberti, de Pædantiſmo Medico Cap. V.*

§. XXVII.

Quo vero anatomica inutilis curioſitas, repurgetur, & Anatomia ipſa, (quæ dum cum corpore exanimato verſatur, ad phyſicam tractationem magis pertinet) in uſum Medicinæ transferatur; ſufficit noſſe *generalem* corporis conſtitutionem, quoad partes, earundemque numerum, ſitum, connexionem, & diſpoſitionem generalem ad tales motuum gradus ſubeundos & admittendos; ad uſum Chirurgicum, & craſsè operatorium, noſſe refert, an partes ſint nervoſæ, tendinoſæ, ligamentoſæ, membranaceæ, vaſibus ſanguiferis, tam arterioſis, quam venoſis, aut nervis inſtructæ, cujus rei mentionem fecit *Excell. D. D. Præſes in Diſſ. de Medica chirurgia in genere*. Deinde vero ex hac notitia inquirendum eſt, non anatomicè, ſed phyſiologicè, adeoque Medicè, in *uſum* partium; in quantū nimirum hæ partes, ita poſitæ, conſtitutæ, connexæ, ad hunc uſum, effectum & finem, ut organa, applicantur; præterea pernoſcenda eſt diſcrepans harum partium nobilitas, dignitas & æſtimatio, quæ non æque teneritudine phyſica & anatomica nititur, ſed uſu & neceſſitate, pro actibus vitalibus adminiſtrandis & effectibus talibus obtinendis: quin præſtat adhuc, ad Chirurgicum ſcopum, intelligere connexionem atque figuram craſſiſſimarum, nimirum oſſearum, partium; quo in reſtitutione luxatarum talium partium, convenientem & ordinarium ſitum non offendat, ſed iterum acquirat; quo fracturas oſſium, craſſo ta-

li adjumentō, ita ſublevare queat artifex, ne perverſe concre-ſcant, ut pars poſtea inepta fiat ad congruos, & vitales, & certo reſpectu morales, uſus.

§. XXVIII.

Imprimis vero commendare licebit curioſis & aſſiduis anatomicis, & anatomiæ ſectatoribus, illis præprimis, qui utiliter anatomiam exercere geſtiunt, accuratam notitiam *Venæ Portæ* cum ſuis propaginibus, & quid in diverſarum ramificationum hujus venæ, præcipue ſplenicæ & hæmorrhoidalis propaginis, concurſu, ſingulare in variis ſubjectis repertum fuit & adhuc reperitur: Cum enim hæc Vena Portæ jamdudum maximo jure ab *Excell. D. D. Præſide*, Porta malorum appellata fuerit, ita ex hac commendata notitia fluet uſus ille omnino Medico-Pathologicus, ut partim certiores fiamus, quomodo illa *mala*, hypochondriaca, hyſterica, cardialgica, cardialgico-emetica, ſpaſtica, convulſiva, torminoſa, colica, hepatica, ſplenetica, conſtrictoria, turgefactoria, inflatoria, hæmorrhoidalia, ſplenetico-vomibunda &c. oriantur & conſtituta ſint, partim etiam quomodo vel inter ſe invicem conſentiant, vel transfigurentur, aut quomodo unum tale pathema, ex alio formetur, & quæ ſit hujus *metaſchematiſmi* ratio, connexio, dependentia, & utilitas, ita nobis magis cognita erit morborum cauſſa & *σύζυγία*, de qua re conf. *Excell. D. D. Præſidis Diſp. de Fundamentis Theoriæ Medicæ, & de Vena Portæ Porta malorum.*

§. XXIX.

Adjungere etiam volui aliam utilem curioſitatem Medico-anatomicam, quo morborum nexus, dependentia atque ſtatus magis obfirmetur & explicetur: In hoc ſtudio ſolertes Practici, anatomica tali induſtria Medicinæ commodum promovere poterunt, quando in demortuis, & morbis quidem oppreſſis, non æque violenta morte enecatis, obſervationes tales inſtituunt: Laudavit talem modum anatomi-

cum retractandi *Baglivius*; promeruit etiam in hoc ſtudio multam laudem *Bonetus in Sepulchreto ſuo anatomico*; participant de tali promerita laude, quidam A. N. C. Collegæ: ex quibus induſtriis propior pateſit acceſſus ad ſpecialiores circumſtantias in morbis talibus occurrentes, ratione vera & congrua pertingendi, morborum indolem magis exhauriendi, & magis congrue ſecundum hanc notitiam eſſentiæ morbi conſiliis & auxiliis ſubveniendi. Dabo hujus rei ſaltem exempli loco ſpecimen quoddam: Commemorat *Bonetus* in citata ſua *Anatomia Practica*, quod in ſubjectis Cephalæa tandem demortuis, reperta fuerint vaſa cerebri inflata, turgidula & venæ ipſæ laxiores, & ſolito magis flaccidiores: inde facile colligere eſt, quomodo ex tali diſtenſione & relaxatione harum venularum, affectus hic contumaciam & durabilitatem ſuam capesſiverit, & quomodo neglecta hac cauſſa & circumſtantia, fruſtra alia vulgaria & Cephalalgiæ dicata remedia adhibita fuerint. Quo loco vero adhuc illa cautela opus eſſe cenſeo, ne in omnibus morbis hanc curioſitatem inſpiciendi ac examinandi cadavera, adhibeamus, alias iterum inutilis evadet tota curioſitas; nam ſi morbi ſunt rariſſimi, & propterea periculoſiſſimi, fruſtra nitimur, quo ex hac notitia ubique morbis talibus in futurum, lenitatem aut benignitatem conciliemus: aut, ſi morbi in vitioſa humorum qualitate nude conſiſtunt, fruſtraneus iterum erit hic labor: aut ſi morbus nixus eſt ſolum motuum vitiis, hæc anatomica notitia nihil notatu dignum, nedum utile quiddam aperiet: aut ſi morbus ita comparatus fuit, ut patiens humanis viribus illum ſuperare non potuerit, parum commodi feret tale anatomicum ſcrutinium: unde ad monitum *Lentilii* non *in omnes ſordes cadaverum manus immittere debemus*. Quo pertinet quod *Celſus in Præfatione* dicit; *neceſſarium eſt incidere corpora mortuorum eorumque viſcera atque inteſtina ſcrutari*; ſed mox etiam ſubjicit: *nihil ſtultius eſt, quam*

qua-

quale quid in vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam in mortuo: & mox iterum: *ne mortuorum quidem laceratio ſemper neceſſaria eſt, quæ etſi non crudelis, tamen fœda ſit, tum aliter pleraque ſe in mortuis habent, quantum vero in vivis cognoſci poteſt, ipſa curatio oſtendit.* Quapropter judicio & prudentia opus eſt, quo talem curam anatomicam cum fructu exerceamus, ne iterum in morbum inutilis curioſitatis delabamur, & loco utilitatis medicæ ex Anatomia, non niſi admirationes trahamus, & ſolum curioſa phænomena uſu reali & pragmatico deſtituta obtrudamus. Sed ad alia procedendum eſt, licet de hac re varia dicenda adhuc ſuppetant.

§. XXX.

Placet hic paucis mentionem facere, non tam curioſæ tractationis, Botanices, in ſe conſideratæ, quæ potius & laudanda & indefeſſis rerum naturalium ſcrutatoribus commendanda eſt; ſed nimis ſtrictæ & rigoroſæ hujus Botanices implicationis in medicinam reminiſci vacabit; unde emanarunt illi paralogiſmi & inutiles curioſitates, in hoc falſiſſimum concluſum excurrentes, quaſi Medicina, qua talis, indigeat hac ſolertia & curioſitate Botanica; quaſi, per neceſſitatem & conſcientiam, Medicus omnes minutias & ſubtilitates phyſicas plantarum rimari debeat, quaſi ex ejusmodi curioſitate & aſſiduitate, in ſua ſphæra minime culpanda, tanta eximia utilitas in medicinam tranſeat: tales inquam implicationes meritò ad inutiles curioſitates Medicas referendæ ſunt: Unde *Nehemias Grevv in Idea Hiſtoriæ Phytologicæ, & Spigelius in Iſagoge in rem herbariam* commendant Medicinæ & Botanices diſcretam tractationem, & cautam atque judicioſam combinationem: nimium quantum etiam modo limitata eſt, *Crolliana* illa & curioſa ſignatura plantarum, & ſpeculativa magis quam ſufficienter practica deprehenſa, Aſtrologica plantarum commendatio in Medicina, ad Methodum *Carrichteri* propagata, quam inter alios

 Mer-

Merklinus in caſibus incantationum ut tralatitiam exponit atque carpit: Unde conſervanda eſt laus & commendatio Viris *Dioſcoridi*, *Matthiolo*, *Bauhino*, *Tournefortio*, *Renealmo*, *Grevvio*, aliisque, ſalva noſtra theſi. Nimirum quod talis Botanices tractatio, ab hiſce celebribus viris exercita, multis modis magis ſit phyſica quam medica; in illa tamen ſphæra neutiquam rejicienda ſed ſolertioribus animis commendanda, quæ vero propterea non indiſcretim in medicinam trahenda & miſcenda eſt.

§. XXXI.

Vulgo quidem ad commendandam generalem Botanices utilitatem & neceſſitatem pro Medicina, provocari ſolet ad virtutes Medicas harum ſpecierum, circa quas Botanica verſatur; ita ut vulgo credatur, quaſi impoſſibile ſit morbis mederi, niſi illæ ſpecies amuſſim & exactè medico cognitæ ſint, niſi de iisdem accuratè diſſerere, earundem figuram aliasque notas characteriſticas exquiſite deſcribere ſciat, quaſi hæc ſint illa ſubſidia, quæ ad explorandas vires medicas harum ſpecierum pertineant; ad quam declamationem jam ſubriſit *B. Ludovici in Pharm. modern. ſec. accom.* Hæc ita occinunt illi, qui phyſicam cum Medicina tam audacter confundunt. Sed aſſerit etiam *Zvvölferus contra Takenium*, ſi tali methodo inveniri debuiſſent vires plantarum, ſanè miſerrimè conſtituta eſſet Medicina, quia nihil plane ſciret, de plantarum facultatibus: ſiquidem longè alia, & quidem potiùs tota practica, quam ſpeculativa tali, methodo, efficaciæ vegetabilium inventæ & obfirmatæ fuerunt. Dicit propterea Laudatus *Ludovici*, quod Botanica ad ornamentum, non vero ad formam Medicinæ pertineat, cum quo etiam quantiſper conſentit *Quercetanus in Pharm. dogm. reſtit.* Neque æque neceſſe eſſet, ut ullam plantam medicus, ut Medicus, quoad externam figuram agnoſcat, nam figura & externus adſpectus curam & applicationem hujus ſpeciei non abſolvit. Hinc Medicis ab antiquitate

ad-

adjuncti ſunt Miniſtri, nimirum pharmacopæi, qui hæc proprie noſſe debent, quæ Medicus deinde ad uſus ſalutares & convenientes applicat atque ordinat.

§. XXXII.

Si itaque ad mentem *Andr. Catanei Imolenſis, de intellectu & de cauſſis mirab. eff.* vis & efficacia intellectus & rationis humanæ, in inquirendis & evolvendis rebus arduis, ſubtilibus & curioſis multum augeri & confirmari debet; nihil quidem huic afferto detrahere geſtio, modo talis labor & opera in ſuo circulo & ſphæra maneat, quod etiam optimo jure ad Botanicam referri debet. Sufficit, ſi Medicus illas ſpecies ſibi cognitas reddit, cum quibus in arte ſua verſatur, ne plane hujus notitiæ rudis & hoſpes exiſtat; unde prælaudatus *Ludovici* ediſſerit, quod ſelectus hujus cognitionis commendari debeat Medico, tanto magis cum noſſe vires harum ſpecierum, & noſſe ipſam ſpeciem, non ſit res una eademque, neque notitia virtutis, ex cognitione ſpeciei fluat: nam ſcire hanc ſpeciem eſſe umbelliferam, papilionaceam, galeatam, corniculatam, tubuloſam, ſiliquoſam, ſtellatam, bicapſularem, hexapetalam, tetrapetalam, diſcoideam, bivalvem &c. quid hæc ad medicum ſcopum? quæ ad curioſitatem phyſicam pertinent! Noſſe hanc ſpeciem eſſe acrem, ergo purgare; falſa eſt concluſio, quia copioſæ ſpecies ſunt acres, quæ non purgant. Unde conſultius eſt, ſi hæ curioſitates tractentur in ſuo foro atque circulo, ubi omnem laudem merentur: aſſeverare vero velle, quod hic non poſſit eſſe medicus, qui talia non calleat, videtur mihi â veritate diſcedere, dum Medicus non cum hac aut illa ſpecie auxilium fert, quia forte eſt umbellifera, capſularis, aut hiſce aut aliis ſtaminibus & petiolis prædita. Quamprimum vero Medicus in virtutes talium ſpecierum inquirit, tunc non amplius ut Botanicus conſiderandus eſt, ſed ut artifex, qui Empiriæ nonnumquam ſimplici & craſſæ, quandoque rationabili, ſtudet & inhæret, licet hæc Botanographia, & altera illa tra-

ctatio

ctatio de viribus plantarum, in variis laboribus & operibus ſimul expoſita & conjuncta ſit, ut *Matthioli, Tabernamontani, Loniceri, Fuchſii, Pancovii* &c. labores atteſtantur. Sunt tamen ita diſtinctæ, ut una ex altera non fluat, ubi tamen valet, quod *Celſus* dixit *in Præfat. Contemplatio naturalium, quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit.* Quod cum grano ſalis ad præſentem conſiderationem applicamus: uti vero ad effatum *Mornæi de verit. relig. Chriſt.* nihil alicui detrahitur, ſi ignorantiam hujus vel alterius ſubtilitatis confiteatur, cum non pudeat, doctiorum exemplo, ignorantiam talem profiteri, & majus opprobrium ſit, quid pro quo, falſum pro vero, opinionem pro veritate ſupponere, ita hoc optimo jure ad defendendam noſtram aſſertionem conferre poſſumus, cum nihil medicum juvet noſſe, *cur* Jalappa purget ſerum mucidum fluxile, *cur* gummi guttæ purget ſerum aquoſum, *cur* Aloës evacuet mucum ſpiſſiorem, *cur* Rhabarbarum educat bilem; conſultius enim eſt acquieſcere in veritate facti, quam totidem ſpeculationibus, nudis & falſis, quas quidam ex Botanica urgent & corradunt, ſeſe immiſcere & immergere. Sed & hæc ſufficiant paucis de hiſce egiſſe & ſimul medicinam pro hac curioſitate medica indicaſſe.

§. XXXIII.

Manuducit me hæc penſitatio ad aliam conformem conſiderationem, circa annotandas inutiles curioſitates medicas; nimirum ordo poſtulat, ut aliud Augiæ ſtabulum ingrediar, licet illud repurgare laborioſum videatur, etiam illis, qui hæc poſſunt: Loquor de triviali ita dicta *Materia Medica*, quæ hodiernis temporibus magis Idolum Medicum, quã Materia Medica vocari debet: quantæ in illa curioſitates inutiles occurrant, docet vulgaris illam tractandi methodus, unde B. *Ludovici* ſtatim in initiis *de Sel. rem. in gen.* de hoc luxu querimonias ſuas exprimit. & quamquam ad commemorationem viri laudati, pleraque tellus, propria ſua ſubſidia

ſidia ferat & gerat, tamen hodienum animus luxurioſus humanus ſemper ex Africa aliquid novi deſiderat, & novitatibus immerſus judicat, quaſi omnia illa, quæ ex diſſitis nationibus ad noſtras transferuntur, noſtra ſubſidia virtute antecedant, & oculum à domeſticis ad peregrina diffundit, ut hinc ferme quilibet annus novũ quoddam ſubjectum exponat & obtrudat. Unde remediorum numerus ita accrevit, ut delectus carus ſit, & anxios teneat medicos, quodnam ſit optimum: quin evenit, ut à Græcis & Arabibus transſcripta ſint tot medicamentorum genera, ut ſi vera eſſent, quæ de illis vulgo commendantur, medicina omnes reliquas artes & ſcientias, optimo jure antecederet: ſed proh dolor! contigit, ut hæc a veteribus bona fide tranſcripta, aucta, aliisque dubiis ſubſtantiis accumulata & phaleratâ grandiloquentiâ ad majorem deceptionem ebuccinata ſint: hinc non deficimus multitudine remediorum ambiguorum & æquivocorum, ſed præditi ſumus paucitate remediorum certorum & fidorum.

§. XXXIV.

In eo tamen ſemper luxuriat curioſitas illa inutilis, ut antiquum damnum & defectum non corrigat, ſed novis inventionibus augeat, ſemper nova adjiciat, & ex uno forte ſemel aut bis & æquivocè, obſervato effectu, generalem ſtatim uſum effingat, aut antiquam fabulam recolat & recoquat, eandemque dubiis experimentis & explicationibus deducat, aut plane antiquata cum novis confundat, bona malis miſceat, & in arcanis quorumcunque effectibus inquirendis intenta ſit, vagabundo animo à decem ad centum, à centum in mille ſubjecta exerret, tranſcurrat & confugiat, aut innumera commiſceat, teſtimonio formularum, aperitivarum, antepilepticarum, acidum deſtruentium, virulentum contagium oppugnantium &c. Hinc Paracelſus illudit & deridet credulas illas & famoſas laudes compoſitionum Thериacalium, antidotalium, miſcelarum: in quibus curioſitatibus

 cor-

corrigendis & emendandis laudabiliter etiam opellam adhibuit *Rivinus in Cenſ. med. off.* Quin dolendum maxime eſt, quod hoc ſtudium medicæ materiæ ferme hodie non aliter, niſi curioſe percurratur & menſuretur: præbet hujus rei inter alia ſpecimen Cornu cervi, & ungulai alcis, quarum ſpecierum efficacia alexipharmaca & antiſpaſmodica curioſe & ſupponitur & defenditur, de qua re conf. *Excell. D. D. Præſ. Progr. de Criterio experimentorum medicorum.*

§. XXXV.

Si ulla vero Medicinæ pars ab inutilibus curioſitatibus repurganda eſt, eſt ſane hæc Materia Medica, de qua prælaudatus *D. D. Præſes in Diſp. de Conſilio Medico* hæc notanda verba proponit. Th. 50 -- *ita imprimis in hac odioſiſſima materia, abuſus Laudationum materiæ medicæ denotandi: illud autem iterum omnino, tam ſincere, quam confidenter aſſeveramus, digniorem eſſe hanc materiam, quæ unanimi conſenſu, ſtudio, opera, & tandem ſelectiſſime collatis judiciis, certius definiretur, & tandē quanta fieri poſſet auctoritatis prærogativa, in uſus publicos ſtabiliretur, ut huic inſtituto vel mille curioſitates, ad minimum tantiſper poſthabere æquiſſimum omnino eſſet* &c. Non quidem tam curioſum quam temerarium eſt, plus promittere, quam præſtare poſſe, in quo damno culpanda eſt noſtra materia medica; tamen curioſum illud eſt, quod in hoc damno evitando tam raro cura & ſollicitudo habeatur, quin potius nova huic materiæ medicæ affingantur, quæ indies eandem magis ſterilem & diffuſam & confuſam reddunt: multi enim non dubitant de veritate facti, an etiam hæc in hoc ſtudio paſſim delamari ſolita hos effectus ſincere edant, ſed has pollicitationes, ut infallibiles, aliis novis circumſtantiis eſſe adornandas, novis inventionibus, formulis, & figuris eſſe illuſtrandas, & novis ſpeciebus eſſe augendas: ita non modo contingit, ut non ſolum unum ex altero tranſcribatur, ſed & perſæpe idem illud fiat, ac ſi quis æthiopem dealbaret, id eſt, irritum laborem committeret.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Propterea hæc mihi videtur hujus curioſæ medicinæ medicina neceſſaria, ut ſine præjudicio multi cordati & prudentes viri uni re intent & attenti eſſent, & in exploranda ejusdem vera efficacia occupentur, quo veritatem detegant, an nimirum hæc ita vera, indubia & certa ſint, quæ vulgo de hac aut illa ſpecie ab hoc aut alio, commendantur; repeto vero, quod mihi præcipue ſeponendum & evitandum eſſe præjudicium videatur, ne antea pro vero habeamus & infallibiliter credamus, quæ vulgo de ſpecie quadam dicta ſunt, alias applicatio talium ſubſtantiarum retinet famoſum illum aſſenſum, ſed & fallacem illam laudem: ita paullo magis ſeparare liceret, quo non modo verum à falſo exacte diſcernatur, ſed & quo fruſtranea credulitas & exſpectatio de ejusmodi ſubſtantia in futurum evitetur, & quomodo à privativa methodo ad poſitivam facilior pateat acceſſus, & quo modo ad meliora & certiora pertingere liceat, ne multis æquivocis effectibus intenti, ſemper in bivio oberrent, & accidentales ſanationes ſimplici effectui hujus vel alterius ſpeciei adſcribant. Deinde neceſſarium erit, à diffuſione vulgari abſtinere, & res quæ ante pedes ſunt recte indagare, ne in hiſce cæcutientes aut ceſpitantes ſemper ad aliena delabamur, & nedum quidem in illis recte cognoſcendis & exacte diſcernendis adſpiremus, ſed neglectis illis & non intellectis hiſce conveniente fructu deſtituamur: quo magis enim animus humanus per multa vagatur, eo minus unum verum aſſequitur, ſed multa dubia & incerta comprehendit: Multum etiam promoveret utilitatem Materiæ Medicæ, & removeret inutiles curioſitates, ſi in tali experientia ipſi medici obſervationes & eventus de hac re communicarent; ſed modo etiam circumſtantias in applicatione talium ſpecierum annotatas conferant, ſubjecta & morbos, aliaque ſedulo deſcribant & exprimant.

 §. XXXVII.

§. XXXVII.

Quo vero hæc eo melius cedant, fas etiam eſt, ut Hiſtoria Morborum ab inutilibus curioſitatibus ſedulo repurgetur, quod ob duplicem reſpectum cum cura & aſſiduitate præſtandum eſt, 1) quia juſta hac commemoratione hiſtorica ſeu morborum fida expoſitione, tota Medicina nititur, ut hic magis valeat: qui bene cognoſcit, ſcilicet indolem & ſtatum morbi, melius curat ; quam qui innumera morbo, alicui adjungit ſigna, quæ non ſunt facti, ſed quæ ex falſa perſuaſione & ſpeculatione fluunt 2) quia nihilominus hæc hiſtoria, tot perverſis & alienis curioſitatibus eſt confuſa atque remixta. Unde etiam *Hippocrates in libr. de Arte* dicit, quod *Medicus, qui ad cognoſcendos morbos ſufficit, ſufficiat etiam ad curandum*, & *Galenus: morborum cognitio eſt remediorum materia*; & *Trallianus: in morbis cognoſcere oportet univerſos affectus, hinc iisdem mederi*: quo pertinet, quæ *Valleſius in Comment. de morb. popul. præc. in Præfatione*, de utilitate, neceſſitate & ſinceritate Hiſtoriæ morborum medicæ diſſeruit.

§. XXXVIII.

Eſt vero hodierna facies, ſeu hiſtoria, morborum ita comparata, ut multis ſterilibus curioſitatibus referta & inquinata ſit; nam hodie vix ſimplices morbi attentione digni judicantur, cum tamen *Valleſius* aſſerat: *qui non novit morbos ſimplices, neque intelliget eosdem in individuis*: ſed tota curioſitas propendet in morbos raros, curioſos, miraculoſos, inauditos, ſtupendos & horrendos; & quo magis miraculoſi ſunt, eo magis æſtimantur; ita degeneravit genuina hiſtoriæ hujus indoles; & dum *Seneca* dixit: *multa egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit*; ita multi credunt, hæc eſſe illa, quæ adhuc illis ſubjicienda ſint, nimirum recenſere & rimari tales raritates, & talia miracula; hinc tot novi morbi paſſim etiam exponuntur, qui tamen magis cerebrini ſunt, à

quibus

quibus perverſis hiſtoriam morborum tractandi methodis inter alios etiam dehortatus eſt *Bohnius de Offic. Medic. dupl.* Inutilis propterea curioſitas eſt, infrequentes, complicatos, vix auditos, ſpecioſos & difficiles ſolum morbos maxima cura proſequi & rimari; contra vero ſimplices quotidianos, vulgares, fundamentales & primitivos negligere, contemnere, ſeponere, quorum hiſtoria tamen ita lacera & manca eſt, ut propterea veluti ſacrata appareat (ſie iſt faſt vogelfrey gemacht) dum multi ſecundum ſpeculationes ſuas cum illa pro lubitu verſantur, unus addit, quæ ex opinione & theoria ſua fluere poſſent, alius ſubtrahit, quæ non cum ſua ſpeculatione conveniunt, tertius novam plane faciem eidem obducit, quia ſpeculatio ſua, ex aliis mixta eſt: tam male huc usque multoties hiſtoriæ huic conſultum eſt.

§. XXXIX.

Cum vero hæc ita ſint cum hiſtoria morborum comparata, dignum eſt, quo huic curioſitatis morbo medicina inveniatur & ordinetur: quare hoc factu neceſſarium æſtimarunt celebres viri, ut primo ſimplicior alicujus morbi ſtatus explicetur, & ita hæc hiſtoria ſuæ puritati, ſinceritati, & veritati reſtituatur, deinde ut annotentur & diſtingvantur illæ circumſtantiæ, quæ non ex indole alicujus affectus, ſed ex individuis ægrotantibus, eorundemque moribus, conſvetudinibus, vitæ genere, patheticis commotionibus, regiminibus fluunt, & quæ ab aliis adventitiis cauſſis externis pendent, quo innoteſcat, quid ad morbum ipſum, quidve ad perſonam ægrotantem pertineat; præterea quam maxime neceſſarium imo utile erit in fundamentales tales morbos, penitius introſpicere & allaborare, quo illi magis agnoſcantur, illuſtrentur & commendentur. Loquor vero de illis morbis, quibus multi alii nituntur, qualis ſano ſenſu, morbus eſt Plethora, quæ optimo jure mater plurimorum morborum ulteriorum appellanda eſt; quo etiam refero Hæmorrhagias, ſecundum ætates & ſexum differentes: maxime vero refert

 cum

cum cura annotare, & ubique obſervare, morbos, quatenus diverſis ætatum periodis familiares aut congrui ſunt, ne potiores conſiderationes negligantur, vel negligentius tractentur, & illis aliæ ſteriles curioſitates, aut infrequentes eventus & effectus præferantur; unde non aliter fieri poteſt, niſi ut multi huic curioſitati inutili intenti in alienos cauſſales reſpectus delabantur, & veritati impune obloquantur.

§. XL.

Quin expedit majori ſolertia in dependentias & conne- xiones morborum inquirere, conſecutiones talium effectuum curatius annotare, eorundemque transfigurationes majori ſtudio obſervare, & quidquid ex ratione conſvetudinis, corruptionis, complicationis, hæreditariæ diſpoſitionis, &c. fluit, ſincere & attente indicare & commemorare, ſic ſpero melius conſuli poſſe Hiſtoriæ morborum, quam mille aliis curioſitatibus. Quod etiam videtur mihi haud ſuperficiarium, inutile aut injuſtum eſſe requiſitum & poſtulatum in hodiernis variis obſervationibus medicis, ubi animus ad ejusmodi curioſitates applicatur, cum tamen totum tale negotium longe majorem fructum ferre poſſet, ſi in qualibet etiam infrequenti obſervatione, annotentur ſubjecta, eorundemq; ætates, corporis habitus ſeu temperamentum, mores, conſuetudines, vitæ genus, diæta, reliquus vivendi modus, morbi prægræſſi eorumque eventus & exitus, aut tractationes, ſucceſſus aut conſecutiones, & quid in præſenti affectu ratione regiminis & adhibiti auxilii medici commiſſum fuit, quales effectus adhibita regimina & medicamina ſortiti & nacti ſunt (in qua ultima circumſtantia magnam laudem meretur *Lælius a Font.* qui paucos habet aſſeclas) hæc & multa alia phænomena non modo ipſam hiſtoriam morborum illuſtrabunt, ſed & quod ante monitum fuit, ipſi materiæ medicæ ſtabiliendæ atque repurgandæ inſervient.

§. XLI.

Ad curioſitates inutiles medicas pertinet vulgaris & famoſa

moſa illa *Chymiæ applicatio & confuſio cum Medicina*, quæ, quamvis in antiquiſſimis temporibus tota aliena fuerit a Medicina, notante *Conringio & Borrichio*, ita tamen in propioribus temporibus eadem in Medicinam translata eſt, unde variorum hic fuit labor, ut non modo Praxin medicam ad curioſitates chymicas ducant, ſed ad ipſam theoriam chymicam effingant & efficiant, cujus rei ſpecimen allegat *Lentilius in Miſcell. Pract.* Quamquam etiam in genere notandum & monendum ſit, quod trivialis, in Medicina tractandi chymiam methodus, multa reformatione indigeat, imo quod adhuc magis eſt, quod in vulgaribus ſyſtematibus chymicis dogmatica theoria & verus nexus multum deficiat, ita tanto minus è fluxilibus, tergiverſantibus & confuſis illis theorematibus chymicis, vera connexio ad Medicinam, nedum quidem veritas Medica erui & obfirmari poteſt; ſunt vero tales inutiles curioſitates chymicæ, quæ de fermentatione humorum producuntur (licet hodienum theoria Zymotechniæ, ſecundum vulgarem Hypotheſin admodum dubia manca magisque imaginaria ſit) quæ de ſalium diverſa geneſi excogitantur, quæ de colliquatione per alcalia, coagulatione per acida, reſolutione per volatilia, fixatione per terrea, volatiliſatione per volatilia, & diverſorum acidorum Cephalicorum, odontalgicorum, ophthalmiorum, hypochondriacorum, hyſtericorum, arthriticorum, podagricorum, nephriticorum, colicorum, exiſtentia, obtuſione acidorum per varia dulcia, pingvia, terrea &c. proferuntur, & non raro male explicantur, imo quæ de generali ſangvinis fermentatione, & inde prodeunte diverſa febrium ſpecie allegantur, quæ tamen ſpeculationes non niſi in generaliſſimo quodam conceptu conſiſtunt, ita ſane arduum erit, ex ejusmodi dubiis propoſitionibus, aut perverſis applicationibus uſum aliquem realem, & quidem non alium quam medicum, capeſſere & educere velle, niſi iterum in phyſicas illas contemplationes exerrandi & diſcurrendi quisquam magis pruritu laboret, quam veritatibus & ſimpli-

plicioribus conſiderationibus ſtudendi & inhærendi, cura tangatur, quod quidem proh dolor nimium quantum ſæpe contingit.

§. XLII.

Uti quidem jam dudum Tachenianus Hippocrates chymicus, à cordatis arbitris & celebribus viris, & quidem meritò exploſus eſt; ita hodienum adhuc eveniet, qualiscunque etiam fingatur alius Hippocrates, quam Medicus, ut omnes undique tandem corraſæ & in unam maſſam redactæ gerræ, inutilem non tam curioſitatem, quam ſtupiditatem craſſam prodant. Unde inutilem curioſitatem, illam voco, quæ ex falſis principiis chymicis, veritates medicas producere non veretur; quæ in generalioribus conceptibus lynceis oculis circumvagatur, in ſpecialioribus vero uſibus & applicationibus talpa cæcior eſt: quæ humoribus corporis animalis affingit & attribuit fermentationem (qualis quidem alias non alia datur, quam aceſcens in aptis videlicet ſubjectis) quæ tamen ab iisdem plane aliena eſt, dum abunde jam conſtat, quod humores in nullam aliam, niſi vel coagulatoriam, vel putrilaginoſam alterationem delabantur, ut propterea inde non niſi contra omnem ſenſum chymicum, tot ſalia fingantur, indeque tot effectus ſtimulantes & irritantes declamentur & accuſentur, quales ſteriles Aetiologiæ deinde toti indoli alicujus affectus contrariantur, & plane alium quam talem effectum & affectum attingunt & deſcribunt, ſicuti hoc ſpecimine aliquo abunde expoſuit Excell. *D. D. Alberti de Podagra ſine ſale*.

§. XLIII.

Et quam abſonum eſſet ex crasſiſſimis quibusdam circumſtantiis, quæ in certis operationibus chymicis obſervantur, rudem ſtatim applicationem formare velle ad corpus vivum & actus vitales; cum tamen ordo, ſtatus, conditio imo omnia eſſentialia requiſita in unoquoque proceſſu toto cœlo differant; cui implicationi & applicationi chymicæ, maxi-

me

me contrariatur, partim poteſtas animi pathematum, ejusmodi ſalia generandi, vel novis aculeis inſtruendi & diſplodendi, partim recurſus morborum, per certas & exquiſita periodos contingentes, ut & diſpoſitiones hæreditariæ, nec non morbi certis hominum moribus conformes, porro morborum infrequentia, & juſta diſtinctio quoad ætates nec non quoad ipſorum morborum ſpecialiſſimam connexionem & dependentiam, quas circumſtantias etiam contra hanc chymico-Medicam confuſionem inculcavit *Conſultiſſimus D. D. Præſes in Paræneſi ad aliena à medica doctrina arcendum:* quare non aſſentire placet *Mathiolo in Epiſt. ad A. de Blau* dum dicit: *neminem medicum abſolutum eſſe poſſe, imo nec mediocrem quidem, qui in chymia non exercitatus eſt*: cum quo tamen conſentiunt varii Galeni veſtigiis inſiſtentes: *Minadous, Andernacus, Crato, Geſnerus* &c.

§. XLIV.

Quod vero Practicam curioſitatem chymicam, in Medicinam paſſim translatam, concernit, haud vereor aſſeverare, quod veterum ſimplicior methodus, ſimplicibus medicamentis utendi, magno numero ſuperet recentiora arcana & ſecretas operationes, imo ita-dictas quintas Eſſentias, concentrationes, extracta, Alcohol, Salia Centralia, olea radicalia &c. Quamprimum enim hæ curioſitates irrepſerunt, ab eo tempore Materiæ medicæ ſemper quidem auctiores prodiere, ſed ſemper etiam deteriores; copioſiores, quia ſterilia experimenta, illis temporibus luxuriabant; deteriores vero, quia plurimum tranſcriptæ & perverſis quibusdam tractandi methodis expoſitæ fuerunt. Sane ridicula & vix audienda mihi videtur illa chymiæ in Medicina commendatio, quod Chymia doceat principia juvantia concentrare, & nocentia deſtruere, & ſicuti præcones cathedrales ganniunt, ex pernicioſiſſimo Veneno optimum antidotum producere &c. quæ ſane ſingula, ſi ita etiam eſſent, Medicinam non abſolvunt, niſi demum medicus majori prudentia inſtructus, colligere debeat, quomodo, qui, u-

bi, quantum, hæc ita præparata in uſum trahenda eſſent, & recte applicanda: in hoc enim ſi deficit & delinquit Medicus, quid juvat totus ornatus chymicus, cum omnibus thecis, capſulis pyxidibus & vitris.

§. XLV.

Noſſe vero & intelligere chymiam, alterius quam Medici eſt fori; quoniam vero à Medico, quaſi de facto, ſi non de jure, deſideratur, quod totam naturam tam macrocoſmicam quam microcosmicam rimari debeat, cum tamen ſufficiat, ſi naturam microcoſmi recte intelligeret, & cum illa ſemper verſari poſſet: ita etiam contigit, ut mineralium & vegetabilium tractatio per ignem in medicum forum conjecta fuerit, & tali ratione Medicina chymica obtruſa & propagata ſit. Noſſe tamen chymiam & curioſum & utile omnino eſt; hinc merito prudentibus, peritis, & ſolertibus commendanda exercitatio: in Medicinam vero illam indiſcretim rapere, neque conſultum neque proficuum erit, cum notitia illa modi operandi in medicamentis non ſit Medica ſed phyſica; unde præſtat etiam in hoc ſtudio ſibi temperare, quia una talis curioſitas ad innumeras alias inutiles curioſitates ſeducit, ut tandem lapſus & præcipitium pateat in Panacæas ſolares, lunares, in famoſa & ſtupenda Bezoardica, Jovialia, Martialia, in Salia & Olea metallorum, in aurum potabile, in arcanum vitæ & mortis, in ſpiritum mundi, ſed etiam in principem mundi, quia Diabolus eſt autor omnis mendacii vanitatis & oſtentationis.

§. XLVI.

Adhuc unum verbum dicendum mihi eſt, antequam preſſius & propius curioſitates inutiles Practicas adgrediar, de curiſiotate illa maxime morbida, quæ verſatur circa *Prognoſes ex planetis & horoſcopo* formandas. Licet quidem in ſemioticis multæ inutiles curioſitates occurrant, nulla tamen ita manifeſta eſt, quam quæ in Aſtrologia Judiciaria verſatur, cujus vanitatem jam multi cordati viri agnoverunt & expoſuerunt. Et quæ non pompoſa, magnalia & ſesquipedalia verba

verba de annis climactériis vulgo exclamantur, qui non calculi ducuntur, quæ non domus ſtruuntur, quæ non lineæ ducuntur, quæ non puncta locantur, & quos non pueros & puellas geomantiſtæ pingunt, quos non planetarum influxus credunt, ecquis poſſet ſingulas has ſteriles curioſitates & vanitates recenſere. Placet hic allegare, quæ *Salmaſius de annis climactericis* ediſſeruit, quibus vanitatem hujus Aſtrologiæ judiciariæ indicavit: *multi homines una clade moriuntur, quorum diverſa eſt geneſis, & gemelli quorum una eſt geneſis, & unus eſt horoſcopus, diſpari vitæ exitu fruuntur atque termino.*

§. XLVII.

Et quidni curioſum fuerit planetis certos effectus & influxus atque concurſus activos affingere, in producendis criſibus aliisq; excretionibus, in mutandis hominum temperamentis, moribus & conſvetudinibus, imo etiam ætatum morbis diſtinguendis, in formandis diverſis fermentis in partibus fluidis, cum tamen Criſes minime omnium actus & effectus phyſici aut fortuiti, ſed finales & genericè ad ſalutarem finem intenti & deſtinati ſint, cum hominum temperamenta ejusmodi exactis proportionibus nitantur, omnem phyſicum influxum ſiderum reſpuentibus, cum morbi ætatum tali ordini adſtricti ſint, ut indiſcretus concurſus ſiderum cum hiſtoria facti ne minima quidem circumſtantia connecti queat, & cum tandem excogitata illa fermenta magis ſuppoſititia ſint, quam realia & demonſtrativa, magis imaginaria, quam vera atque certa; de qua re ſupra pauciſſimis verbis aliquid diximus, quidni curioſum fuerit annos ita dictos climactericos adſcribere ſideribus, cum illi anni vix nudis phyſicis talibus influxibus nitantur & alterationes in ejusmodi annis occurrentes, non ita tumultuariæ & turbulentæ exiſtant, uti vulgo quidem habentur: unde curioſitates illæ de horoſcopis ipſo facto & eventu refutantur; quam vanitatem ejusmodi curioſitatis è medicina eliminant *Fabri vin-*

dicæ Aſtrologicæ & Verulamii Tr. de Aetate. Licet vero hæ inutiles curioſitates in Medicina evitandæ ſint, tamen experientia teſtatur, quod propterea non ita abſolute mutatio motuum macrocosmicorum in Medicina Practica contemnenda ſit, dum obſervare licet illas ſenſibilitates vitales ad mutationes externas intenſiores redditas, aut dum ipſum factum comprobat, quod natura decreſcente Luna humores magis dimittat, quam coacervet; quo etiam jam veteres reſpexerunt, dum elocuti ſunt: creſcente Luna, creſcunt humores, decreſcente vero, decreſcunt: quæ alteratio tam in animalibus, quam vegetabilibus abunde adverti, & annotari poteſt: vix vero hæc ſine veritatis injuria & calumnia, planetis ita adſcribi poteſt, ut cauſſæ efficienti & activæ. In qua propterea conſideratione judicio & diſcretione opus eſt: quo etiam referri debet obſervatio illa hiſtorica, dum in ſubjectis ſenſibilioribus morbo quodam ſenſibili & quidem acuto decumbentibus alterationes quædam deprehendi poſſunt, quando inſigniores mutationes in macrocoſmo occurrunt: ubi mihi exemplum conſtat de viro quodam honeſto, qui toties modo majorē modo minorem alterationem conſuetæ ſanitatis experitur, quoties Ecclipſis ſolis occurrit, quo pertinet *Obſervatio 83. Cent. 1. A. N. C. Conf. Illuſtr. Schrökii deſcriptio conſtitutionis Epidem. Auguſt. Anno* 1701. Qui vero poteſtatem ſanationis activam ex juſta motuum tum animalium, tum etiam vitalium indole intelligit, experietur, quo meliori jure phænomena talia non materialibus alterationibus & corporeis cauſſis, neque phyſicis motibus adſignet, ſed ex Theoria ſenſationis firmiori & magis rationabili nexu eadem exponat & commonſtret.

§. XLVIII.

Inutilem & ægram curioſitatem in medicina illam etiam appello, quæ *Uroſcopiæ & Uromantiæ* nimium & ultra limites ſanæ rationis intenta eſt: quamquam vero ab hac ſterili curioſitate viri cordati jamjam multo ſtudio non modo ab-

abſtineant,ſed & dehortentur, dignum tamen eſt, quo alii etiam manum admoveant, ut deceptiones tales ê Medicina proſcribantur: varii enim huic negotio inhærent lucri cauſſa, eo ipſo vero & ſibi & arti ſuæ ſtigmata ignominiæ inurunt: abſonum etiam eſt in omnibus morbis Urinam inſpicere, quamquam Uroſcopia & Uromantia non penitus explodenda ſit, ſed in Febribus, primarum viarum vitiis, renum & veſicæ affectibus, afflictionibus catarrhalibus & paucis aliis morbis ad Pathologiam medicam collata & applicata aliquale utilitatem conferat: non vero præſtat plane ridiculis circumſtantiis inhærere, quale ridiculum Uromantiæ exemplum deſcripſit *Valentini Dec. II. an. 4. obſ. 96.* & qualem deridendam Uroſcopiam, quam tamen ſerio commendat, Helmontius declamat in Hydrophobia, quaſi in Urina catelli fluctuent qui ſeminium & inquinamentum virulentum a cane rabido hominibus inſinuatum prodere creduntur & falſo ſupponuntur. Aſt quis omnibus hiſce fabulis ſeſe immiſceat, conferenda potius erunt quæ pro Medicina hujus curioſitatis ſterilis, tradidit *Excell. DD. Præſes Diſſ. de Uroſcopiæ & Uromantiæ uſu & abuſu.*

§. XLIX.

Ordo nunc poſtulat, ut paullo preſſius practicas quasdam ſed inutiles curioſitates attingam, quæ medela quadam ſeu emendatione indigent. Quid vero curioſius eſt in Medicina practica, quam indiſcretim *alterare* & *corrigere* velle ſine ſubordinata evacuatione, i. e. nudæ humorum intemperiei & dyſcraſiæ ſeu vitioſæ qualitati immutandæ, meliorandæ & corrigendæ omnem operam adhibere, & animum ad tot ſpecies ſalium inimicorum, & acidi modo fixi modo volatiliſati, applicare, atque ſalibus irretiendis, captandis, involvendis, in ſuccum & ſangvinem iterum convertendis, aut acidis nimium fixis attenuandis & colliquandis, volatilibus vero figendis & incraſſandis, tot ſuſpectis aculeis, ſalinis, ſtimulantibus deliniendis, obtundendis, aut plane deſtringendis & hebetandis, ſpeculationes intendere aut operam

navare: hæc talia in Praxi Medica pro cynoſura aut prora & puppi æſtimare & tractare, eſt inutilem curioſitatem ſectari, propterea quia cauſſæ indicantes ſunt meræ ſpeculationes, perſvaſiones & opiniones, uno nomine figmenta, reſpectu univerſalioris illius pathologicæ ſeu ætiologicæ deductionis, quaſi ſuppoſitiones tales conſtituant generalem cauſſarum morborum fontem: ſi vero hæc etiam ita eſſent, quod tamen in tali generali reſpectu conſtanter nego, cui uſui inſervient tales operoſæ aut multoties dubiæ, dico tales recenſitæ, alterationes & correctiones? nonne melius eſſet quaſcunque impuritates, cujuſcunque etiam eſſentiæ eſſent, tempeſtivê evacuare, quam dubie alterare: nunc vero cum ejusmodi alterationibus res ita comparata eſt, ut non modo difficulter, ſed & ſegniter & ambigue talis correctio ſuccedat, præprimis ubi heterogeneitates per maſſam ſangvinis intimius diſtributæ & diſſeminatæ ſunt, neque facile attingi poſſunt: quamcunque vero alterationem humorum utilem æſtimo, illa ita fiat, neceſſe eſt, quo tempeſtiva & conveniens impuritatum evacuatio ſubordinari queat: ubi tamen ſpecifica, ſed vera talia, non efficta non nomine ſolum talia, exceptionem ſuam obtinent, quæ alterationem quandam præſtant ſine evacuatione, teſtimonio remedii ſpecifici anomalias circa Venam Portæ procedentes, aut Epilepſiam, aut ſpaſmos contumaciores, aut ictum ſcorpionis, aut morſus ab animalibus rabidis, aut venenoſis commiſſos &c. curantis: an vero ad *Kergeri* & *Helmontii* jactationem tale alterans febrifugum in rerum natura ſit, quod ſine reſpectu ad typum febris ejusque ſucceſſum, aut diem progreſſus & durationis, quin citra reſpectum evacuationis congruæ Febrem talem percuret, merito *Excell. DD. Præſes in Diſſ. de Præparatione corporis Therapevtica* dubitavit.

§. L.

Damnanda etiam eſt illa curioſitas, quam illi exercent, qui *acceleratam & præciſam curationem* morbi, dolorum

miti-

mitigationem & reſtitutionem velut *certæ horæ*, ad minimum *diei*, adſtrictam, *promittunt*, & cito (ſed non tutò & jucunde, quod etiam non confitentur) curam pollicentur: hiſce pro præſtanda tali temeraria pollicitatione inſerviunt vulgo OVA, ſed tam ſuſpecta, qualia vulgo â gallo gallinaceo depoſita Baſiliſcum continentia & emittentia finguntur, nimirum Opiata, *V*olatilia. *A*dſtringentia; & placet hic allegare ex *Bartholini Act. Hafn. Vol.* 3. *p.* 16 Hannemanni verba de Opio: *ego ſum in hac hæreſi, quod ſi detur Medicina univerſalis, tum ſanè opium eſt, nam ex hoc ad omnes humani corporis paſſiones tutiſſimum remedium componi valet:* quo pertinet aliorum ridicula exclamatio: *ego medicinam abnegarem, ſi opium non eſſet!* hoc eſt illud arcanum *ſine quibus multi eſſe nolunt*, & quamquam varii in defenſionem horum remediorum ad illud provocent, quod clava Herculis, requirat manus Herculeas, eſt tamen etiam notandum, quod non niſi unus recenſeatur Hercules, quis vero ille ſit aut fuerit & dubitant & ambigunt hiſtorici & mythologi; imo ne ego quidem vel Democratis lucerna talem me invenire poſſe ſpero, qui cum hiſce remediis tribus heroicis ad trivialem methodum multas fidas victorias reportarit, ut nihil dicam de Clade cum iisdem inducta: nam tales Herculis cothurnos, uti quidem habentur, omnibus aptare, alienum eſſet: ſed non poſſum de re tam ſontica plura proferre, ob multa alia quæ adhuc reſtant, & ob anguſtiam præfixi ſpatii,

§. LI.

Taxanda proinde eſt illa ridicula & ſterilis curioſitas, quando ſpeculatores tales ab ægrotantibus de indole & cauſſis morborum ſuorum interrogati, ex perverſa & luxurioſa tum diſcurrendi, tum etiam philoſophandi libidine *ſpecioſas* tales tricas & abſtruſas *ætiologias* proferunt atque inaudita, incredibilia, impoſſibilia & imperceptibilia recenſent & declamant, partim per ſpeciem deteſtandæ oſtentationis, partim ne nihil dixiſſe, aut affectum non intellexiſſe

vide-

videantur: unde fruſtra quidam & ad nauſeam ægrotantium, de particulis acidis, corroſivis, ſulphureis, ſtimulantibus, irritantibus, vellicantibus, pungentibus, rodentibus, genus nervoſum offendentibus & aculeis ſuis lædentibus, de acrimonia ſcorbutica (quæ quidem famoſa eſt fabula) de obſtructione minorum vaſorum, von Verſtopffung des kleinen Geäders, de obſtructione Meſenterii, von verſtopffung des Gröſzes, de defectu aut inordinato motu ſpirituum, de tumultu ſpirituum, de obſtructione & denegato influxu ſpirituum, de motu obliquo aut gyratorio ſpirituum, de ſangvine volatili, & quæ talium gerrarum plures adhuc reperiuntur, garriunt; qualem ridiculam explicationem morborum coram ægrotis merito explodit *Lentilius in Jatromnemat. Theor. Pract.* quo loco accenſenda eſt illa hiſtoria, quam *Rivinus in Diſp. de Spiritu hominis vitali* refert, & quam *Lentilius* illo tractatu repetit, ubi curioſus talis ſpeculator femellæ hyſtericæ multum ſputanti interdixit, ne adeo frequenter ſalivam effunderet, cui, ob rationem & cauſſam interrogatus, reſpondit, quia multos ſpiritus vitales excernat, quam lepidam opinionem femina patiens merito deridebat. Ejusmodi itaque conditionis ſunt tales curioſæ & ſcrupuloſæ philoſophiæ; unde potius præſtat morbos quacunque poſſibili ſimplicitate deſcribere, & quantum ad notitiam ægrotantium pertinet explicare, minime vero in diffuſas & obſcuras philoſophias & Pathologias deſcendere; quamquam hic etiam aliquid curioſitati ægrotantium condonandum ſit, dum citra omnem utilitatem & ſolatium in morborum ſuorum fiendi modum fruſtra inquirunt, quæ notitia magis ad medicum pertinet quam patientem; ægrotantis vero intereſt, quo modo adſiſtente divina gratia curetur & reſtituatur: quo etiam pertinet illa perverſa quorundam ægrotorum curioſitas, quo ſuis morbis proprio auſu, citra omnem tamen intellectum nomina certa imponunt v. g. Ich habe eine groſſe Säure im Magen, Scorbutiſch Geblüth, ſcharff Geblüth, das malum hypochondria-

driacum, eine Verſtopfung des kleinen Geäders, einen blöden Magen, eine hitzige Leber &c. &c. in quibus ſterilibus curioſitatibus quilibet medicus ſummo ſtudio cavere debet, ne in ſimilem curioſitatem rapiatur, neve hæc talia indiſcretim pro veris aſſumat, quæ vulgo ita obganniuntur, ſed & in hoc commercio cum ægrotantibus prudenter verſetur, ne ignominiæ & deriſioni ſe exponat.

§. LII.

Magna & multa futilis & inutilis curioſitas committitur in Medicina Practica cum *multiplicatione & multitudine remediorum*; non pauci ſane in hanc ſterilitatem ſunt immerſi, ut credant varietatem non modo delectare, ſed juvare, quin ut aſſerant ex officio medici eſſe, non uni medicamento inſiſtere, ſed multa & varia ordinare. Invaluit hæc titubatio, tergiverſatio & mutatio, dum ipſum factum comprobavit, quod trivialis Materia medica promiſſionum & commendationum plena, ſed effectuum & certitudinum vacua exiſtat: hinc talis ſterilis tot medicamentorum portentoſa, ominoſa & glorioſa commendatio, mater & nutrix fuit, innumerorum experimentorum; nam ſi in unius applicatione ſpes fefellit, patuit tranſitus & refugium ad multa alia, inde varii ad effatum *Plinii* experimenta per mortes fecerunt, & tentarunt hoc, tentarunt illud: indeque prodiit Medicina Practica nudis temerariis tentaminibus oppleta & onerata: hic mos proh dolor occupavit noſtra luſtra, dum hodie non pro πολυπραγμοσύνη ſed εὐχυμοσύνη habetur, ſi facultas ſuppetit varia arcana ordinandi, ſi hoc medicamentum nihil proficit, aliud commendandi, aut multa ſimul præſcribendi, ita forte unum ſupererit, quod ſpem & medici & ægrotantis non fruſtrabitur. Tales occurrunt curioſi ſaltus ab uno ad alterum, qui vero etiam produnt curioſum talem Medicum magis multitudini rerum, quam veritati & certitudini ſtudentem, quod rerum ſuarum incertus atque dubius ſit: cujus rei & perverſæ curioſitatis etiam mentionem fecit *Bohnius de offic. Med. dupl.*

Quare abſint tales ſteriles curioſitates, quæ artem medicam non illuſtrant nec obfirmant, non ſtabiliunt ſed magis dehoneſtant, & conſultius eſt paucis & fidis medicamentis inſiſtere, quam multis atque fallacibus: quod vero fallacia ſint, comprobat effectus, unde ab uno ad alterum deſultare cogitur artifex. Quo plura & multiplicia enim in morbo quodam adhibueris medicamina, eo magis ipſa indoles morbi perturbabitur, & natura individui confundetur, ut rariſſime ex ejusmodi ſaltibus extra choream ſalutaris, verus & ſincerus effectus & eventus ſperandus ſit: de qua re etiam egit *Excell. D.D. Præſes Diſſ. de Multitudine remediorum.*

§. LIII.

Ridicula etiam curioſitas eſt in *formulis conſcribendis* mutandis & eleganter conſarcinandis, ſplendorem & honorem pro Medicina affectare: ſunt illi, qui ita anxie hoc artificium, ad trivialem methodum, exercendum, pro parte eſſentiali Medicinæ & habent & declamant: tanto magis illi commiſeratione digni ſunt, qui ob artificium tale prærogativam præ reliquis poſtulant & urgent. Quid umquam talis remediorum colluvies in unum Miſce Detur, Signetur, profecerit, experientia atteſtabitur: ad minimum vero hoc confirmabit, quod ad eſſentiam rei rariſſime aliquid contribuerit; quin obtigit potius ut tales ſpecioſæ compoſitiones & miſcelæ efficacium remediorum effectum utilem impediverint, majores impenſas requiſiverint, & non raro etiam magis obfuerint, quam profuerint; inde etiam eſt, cur veteres & antiquiores Medici cum ſimplicioribus ſuis medicaminibus majores fructus & uſus reportaverint, quam curioſi & ſcrupuloſi tales recentiores cum omni ſplendore ſuo, & qui propterea hoc artificium ita anxie urgere volunt, quo guſtui & adſpectui mulierum & infantum ſatisfaciant, committunt nihilo minus tale quid, quod ad eſſentiam medicinæ minime pertinet, ſed ad accidens ejusdem: quo vero in hac circumſtantia ſatisfiat moribus & conſvetudi-

tudinibus hominū, non opus eſt tali glaucomate, & glorioſa hujus artificii commendatione: etenim qui ſelectum materiæ medicæ non modo urget, ſed & poſſidet, experietur, quam parum indigeat hac curioſa & ſpecioſa formularum præſcriptione, & grati ſemper odoris, coloris, ſaporis, conſiſtentiæ, imo foliorum auri intermixtionis declamatione: unde utilitas hujus artificii pauciſſimis comprehenſa eſt præceptis.

§. LIV.

Quid curioſius, quidve vero lepidius eſt, quam in Praxi Medica anniti, quo *mulierculis placeant & ſatisfaciant*, eoque ipſo ſibi uberiorem praxin concilient, quæ mihi videtur plane ignominioſa methodus, & rationi & experientiæ medicæ tota contraria, cum utraque talia ſuppetant, quæ garrulitati & remedia laudandi libidini femellarum totidem contrariantur: varii vero huic curioſitati ſtrenue incumbunt, eo ipſo vero artem ſuam magis dehoneſtant quam defendunt: cum artis honeſtatem magis promoveat dicere & agere, quæ rationi ſanæ, & experientiæ rationabili & prudenti conveniunt, non quæ deſideriis femellarum reſpondent, quæ, uti communiter curioſi, dubitantis & titubantis animi ſunt, ita modo hoc, modo aliud remedii genus, urgent, quod non niſi ſymptomatibus morbi congruum eſſe poteſt, neglecta vero radice morbi, irrita eſſet omnis reliqua effeminata morborum palliatio: hiſce novitatis avidis & effeminatis curioſitatibus nullus prudens medicus annuat, quin patienter & prudenter has feminarum πολυμαθείας emendare, & ſic veritati & duci atque auctori veritatis magis placere laboret, quam ejusmodi curioſis mulierculis.

§. LV.

Dicendum etiam aliquid eſt de curioſitatibus ſterilibus, *in viſitationibus ægrotantium*, obviis, quæ ipſam artem medicam multoties dehoneſtant: & quamvis ex *Hippocratis* monito *in libr. de dec. ornat*: *ægrotos diligentius viſita*, curſores medici multum & ſufficientem (quantum quidem ſpe-

rant) autoritatem jactitent, occurrunt tamen tales curioſitates, quæ ipſas viſitationes tandem tœdioſas reddunt: vel enim patientes viſitationibus obruuntur & accumulantur ſordidi lucri cauſſa, vel benevolentiam acquirendi gratia, aut quando Medicina ut res mercenaria exercetur, acceſſum hominum captandi ſcopo, vel hæreditatem adeundi fine; & quo ejusmodi fines obtineantur, non raro plures ſteriles curioſitates ſimul exercentur, ut quidam vicem ægrotantis ſerviliter doleant, alii aures ejusdem cum ſterili ſolatio titillent, alii in rebus novis & curioſis aut hiſtoriolis & relationibus recenſendis & illuſtrandis operam dent, alii ad effatum *Bohnii de Decoro Medici, totas noctes inſomnes penes ægrum ſine neceſſitate ducant, nares ſtercoribus admoveant, matulam illi porrigant, ſtragula parent, ſimilia miniſteria autoritati ſuæ derogantia præſtent, contemtui pariter ſingulis ſe exponant*: quæ ſunt illa hujus curioſitatis, ſummo tamen ſtudio, evitanda conſectaria. Quin curioſum illud eſt, quando morbus quidam abunde conſtat ex relatione ad medicum delegatorum circumſtantias diſtincte & prudenter deſcribere aptorum, ſi nihilominus tamquam ex ſuperfluo patientes acceſſu quodam medici onerantur, qui ipſe aditus nedum medico quidem, quantum ad ſuam rem pertinet, utilis eſſe poteſt, niſi aliquando inutili & ſupervacaneo deſiderio nimis anxii ægrotantis ſatisfacere & indulgere geſtiat; quo accedit, quando ſuperflua quadam viſitatione aliqui in notitiam familiæ pervenire gaudent: quod extra orbitam & ſphæram artis eſt, adeoque curioſitatem inutilem olet: accenſeo hiſce & illud, quando quidam frequentes viſitationes eum ob finem exercent, ut minutiſſimam morbi mutationem annotent, dum in morbis obſcuris omnes circumſtantias noſſe contendunt, ſed æque tam parum inde proficiunt, ac ſi tales curioſitates omiſerint: ubi iterum prudentia opus eſt, diſcernere morbos, in quibus certis diebus peculiares mutationes exſpectari poſſunt, quibus advertendis adeſſe debet Medicus: ſemper vero & ubivis tale quid committere velle, in commodum Medicinæ nihil contribuit.

§. LVI.

§. LVI.

Et quanta non ſupervacanea, inutilis & ſuperflua curioſitas committitur cum *inſpectione ſangvinis* e vena per ſectionem educti: quamquam me non lateat, quomodo *Jeſſen in Judic. de ſangvine Ven. Sect. dimiſſo, Carvinus de ſangvine, Caſtellanus in Phylact. phlebotom. & arteriot.* aliique, ad contemplationem talem & invitaverint, & manuductiones ſuppeditaverint, vigent tamen in hoc exercitio tantæ curioſitates, quæ credulæ vulgi & imperitorum hominum perſvaſioni & imaginationi ſatisfaciunt, unde jam ridicula hæc curioſitas ita invaluit, ut ad eſſentiam V. Sectionis quaſi referatur, quo Medicus, vel V. Sectionibus adſit, vel tales qui Venæſectionem admiſerunt, viſitet, vel quo ipſi ſangvis in domum mittatur, ut eundem inſpiciat, ipſisque tandem ſomnium conjiciat, ſive vaticinia de ſangvine exponat. Quales tunc curioſitates in explicando ſangvine committantur, teſtatur quotidianus uſus: unus laudat ſangvinem multis ſpiritibus præditum, alter dolet ſangvinem ſpiritibus carentem, alius damnat copiam particularum acidarum, acrium, coagulatarum, fixarum, volatilium & ſic porro, modo accuſatur aëris & ætheris vel major vel minor intermixtio, & plura alia, nam quis ſingulas has ſpeculationes & prædictiones enarrabit: ſufficit paucis in hiſce officiis ſe expedire, & non ultra limites rationis & experientiæ progredi, ſed perſpicuè & demonſtrative in hiſce prædictionibus verſari, & illam breviloquentiam exercere, quam *Hippocrates in Libr. de Dec. Ord.* commendavit; quo pertinent, quæ *Bohnius de ſciſcitandis in ſpecie, in off. med. dupl.* expoſuit.

§. LVII.

Nimium quantum curioſi ſunt, illi, qui ad *ſympathetica, Magnetica*, & *Tranſplantationes* multum provocant, aut qui ſtatim ad hæc confugiunt, & ſpeculationibus illis *Paracelſiſticis, Helmontianis* & *Archæalibus* incognitis & obſcuris nimium intenti ſymbolismũ inter ſpiritum mundi & ſpiri-

ritum hominis tam anxie urgent, ſed eo ipſo videntibus, ut ajunt, oculis cæcutiunt, in tenebris incertis manibus palpant, & totum hoc curioſum & portentoſum ædificium in arenam ſtruunt, uti enim tota Sympathiæ & antipathiæ cognitio adhuc valde obſcura exiſtit, imo multis perverſis Theoriis implicata, ita merito de ejusdem applicatione fida dubitare poſſumus, ni hanc craſſis ſolum empiriis niti credere debeamus: dum vero alma benignitas divina nos non deſtituit talibus ſubſidiis methodo naturali magis conformibus, ita alienum imo turpe & temerarium eſſet, à tali methodo, ſtatim ad ſpecioſa talia obſcura & abſtruſa confugere, & nodum in ſcirpo quærere velle: qualia tentamina medicum potius aliorum conſiliorum & auxiliorum inopem prodere ſolent: quo loco etiam breviſſimis indicandum eſt, quod multoties talismodi curæ ſuſpectos effectus, iniquas conſecutiones, & alienos eventus inferant, conſentiente & docente attenta experientia: quare tanto magis circumſpectione opus erit, ne cum damno curioſitatem talem exerceamus.

§. LVIII.

Ambigo, an curioſum, an vero mercenarium vocare debeam in Medicina, ut arte tamen atque habitu cum recta ratione effectivo, *negotiari, cum rebus ad medicinam vel nihil vel parum contribuentibus*, ut pulveribus ſternutatoriis, dentificiis, pro capillamentis, Tincturis dentifriciis, aut ad dealbandos dentes dicatis, balſamis ſpiſſioribus ad conciliandum amœnum odorem, bacillis fumantibus, morſulis ſtomachicis, Trachæis, aut Tincturis pro inferendo grato odore deſtinatis &c. quæ cum ex curioſis inventionibus & fluant & ad curioſos fines tendant, placuit eadem merito inutilibus curioſitatibus annumerare, quæ ſteriles curioſitates, nulla plane Medicina dignæ ſunt, potius è Medicina rationali explodendæ.

§. LIX.

Præterea ad perverſas curioſitates Medicas refero Luxum

xum illum glorioſum & ſpecioſum per *Specifica* morbis toties & tam frequenter medendi: non quidem denego exiſtentiam ſpecificorum, quam dubiam fecit *Ludovici*, ſed improbo luxum illum, & ſuperfluam ſpecificorum declamationem, dum talia remedia, non tanto numero conſtant, quanto à nimis ſuperſtitioſis ſpecificorum fautoribus allegantur, aut ad minimum ut ſpecifica recenſentur; nam medicamenta generalia appellare velle ſpecifica, contra omnem indolem ſpecificorum dictum eſſet v. g. de Opio, aut China aſſerere velle, quod ſint ſpecifica remedia, alienum imo falſum eſſet. Unde cautione opus eſt, quo antea indolem effectus ſpecifici pernoſcamus, deinde remedia ita dicta prudenter examinemus, ne in ſpecificorum tot & tantorum applicatione tantam, ſed comuniter fallacem curioſitatem affectemus.

§. LX.

Quidni curioſitas illa appellanda fuerit, per nuda *Univerſalia* & *Panacæas*, morbos exſtirpare velle, iisdemque, neſcias, quam efficaciam generalem aſſignare, & illis ultro inveniendis & commendandis inhærere: cui enim innotuit & diverſitas morborũ & cauſſarum & methodorum non naturalium in morbis ſervari ſolitarum, vix ſibi perſuadere licebit, dari tales Panacæas; quamvis ipſa experientia de hac re optimum teſtimonium ferre poſſit. Curioſitas etiam eſt, quæ committitur in indifferenti laude *Thermis* & *Acidulis* vulgo attribui ſolita, unde alia curioſitas fluit, circa commendandas & applicandas aquas vulgo ſoterias dictas; quod vero multa curioſa in hoc negotio occurrant, inclareſcit ex diſſenſu medicorum ipſorum, in examinandis, deſcribendis & commendandis talibus aquis occupatorum: ut propterea maxima prudentia opus ſit: ne vulgari & univerſali harum aquarum panegyrico temere ſubſcribamus, ſed ipſam indolem morbi, conſtitutionem ſubjecti, & efficaciam aquarum per experientiam jam annotatam diſcernamus, indeque judicemus, quomodo invicem conveniant vel diſſonent.

§. LXI.

§. LXI.

Ita etiam nihil aliud quam inutile curioſum erit tam *ſcrupuloſam* & exquiſite medicam *Diætam* ordinare velle: taxavit hunc errorem *Excell. D. D. Præſes tam in Obſerv. Halenſ. de ſolicita Diæta*, quam *in Diſp. de Diæta*: nam qui quaſi ad ſtateram Diætetice vivere cogitant, multis damnis ſeſe ſubjiciunt, & in ordinaria ſua firmitate & actuum energeticorum & ſynergeticorum vitalium præſtantia, eximie ſeſe enervant, ut ad perferenda alias conſueta plane inepti reddantur ejusmodi homines. Quo etiam pertinet nimis *ſcrupuloſum Regimen*, nam experientia atteſtatur, quod, quo magis delicatuli aëri ſeſe ſubtrahunt, i. e. aeris mutationes ſingulas anxie expaveſcunt, & mera pericula metuunt, eo magis ad ſubeundas aeris mutationes ſenſibiles tandem reddantur, imo eo frequentius & citius tales à levi auræ mutatione alterentur & offendantur.

§. LXII.

An tandem curioſitates tales in *Methodo Præſervatoria* occurrant, nullum dubium eſt; nam quæ vulgo balſamationi ſanguinis, reſtaurationi & exhilarationi ſpirituum, roborationi generis nervoſi, edulcorationi impuritatis & acrimoniæ ſanguinis, defenſioni cordis à malignitate, conſervationi virium, confortationi vis motricis, elaterum humanorum, &c. dicantur, multoties abunde talem inutilem curioſitatem olent, ut propterea congrua præſervatio ex rebus, quæ ſunt facti, non nudæ poſſibilitatis, prudenter invenienda & dextre ordinanda ſit.

Et hiſce paucis, quaſi in compendio (nam brevis eſſe mecum conſtitui) has curioſitates expoſui, & quomodo illis medicina invenienda & ferenda ſit indicavi. Confiteor ipſe, quod multa adhuc de hac materia dicenda ſuppeterent, ſed non plura propoſui, neque plura promiſi: ſpero vero me propoſito meo ſatisfeciſſe. Unde Deo duci & auctori veritatis humillimas & devotisſimas grates perſolvo pro præſtito ſuo adjutorio in exponenda utili hac materia, quem etiam ſupplex veneror, velit ultro clementia ſua huic veritati ita adſiſtere, quo in Medicina uberrimum fructum ferat, & omnem ſterilem πολυπραγμοσύνην perpetuo arceat & excutiat, utilitatem vero ſemper protegat atque defendat.

Errata; Pag. 5. lin. 24 25. lege Thaleti. p. 8. l. 3. l. fructuoſa. p. 11. l. 5. l. mathematicam. p. 28. l. 2 l. directorii. p. 29. lin. 9. l machinis. p. 42. l. 5. l. ungula. p. 43. l. 3. l. rei intenti. p. 46. l. 26. l. ſortita & nacta. p. 47. l. 6. l. ad. l. 23, 24. l. ophthalmicorum. p. 49. l. 3. l. exquiſitas. p. 50. l. 28 l. curioſitate. p. 51. l. 1. l. climactericis. l. 23. l. connecti. l. 24. l. magis.

S. D. G.

NOBILISSIMO

DOMINO CANDIDATO

εὐλαβεῖν τὴν πρᾶξιν.

PRÆSES

QVid mihi luſoria illa proponis, non eſt jocandi tempus. Circumſtat mors, fugit vita. Adverſus hæc aliquid me doce; fac, ut mortem non fugiam, aut vita me non fugiat. Aurea, ut ſolet, Senecæ verba, quantum non ſimplicis veritatis, & veræ ſimplicitatis, animo cordato offerunt & commendant! Certe in propoſitis maxime ſeriis, imo neceſſariis, vti prorſus ignavum & inertem eſſe, ita temerariè, & quaſi data opera negligentem, quid utrumque indicat, quam alienatæ atque alienæ mentis & rationis? Sed major ineſt vis, Philoſophi verbis, & communiter, par Apellis operibus, de quibus non diſpar prudens æſtimator enunciaſſe perhibetur, quod in illis *plus intelligatur, quam pingatur.* Vides cum *Doctore* ſermonem eſſe Philoſopho huic; adverſùs hæc me *doce*, inquit. *Monet* Doctorem, *offert* ſe imò *infert* atque ingerit, diſcipulum. Et ſane *ſeriò*; *adhuc mortifera mecum ſunt*, adverſum hæc doceri *aveo*: *doce*. *Quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt*, ait alibi: ita hic, quid prodeſt quæcunque alia, quin jocularia & luſoria, diſcere, iisdemque vacare, diſcendis; quum tanta, imo ſumma neceſſitas, incumbat, adverſus quam *doceri* atque *diſcere*, omnibus rebus anteponendum ſit. Unde alibi non indignius monet, *omnia impedimenta dimitte, & vaca bonæ menti.* Quis autem non agnoſcit, non magis juſtam eſſe ſollicitam hanc cupiditatem neceſſaria diſcendi; quam juſtam ſubeſſe *reprehenſionem*, *aliena*, ſupervacua, imo luſoria, *docentis*. Ars Medica, quid aliud eſſe debet, quam ſolida talis doctrina, ut *vita non fugiat*; aut ad minimum *ſanitas*, utpote ſine qua, morali uſu, quaſi nulla eſt vita. Hanc qui *diſcere* volunt, *ſeriò* certe hoc agere, & omnes eò vires, & omne tempus, impendere: qui *docere* in ſe ſuſcipiunt, hoc certe agere debent, non alia,

ne dum aliena, prætermiſſis illis, aut perfunctorie tactis, avidis diſcendi animis obtrudere. Quam graviter autem, & quidem in *lege*, quam ad medicinam diſcendam reſpectantibus præſcribit, *Hippocrates* præcipit: hoc agere; his rebus inſiſtere; harum vero imperitiam eſſe *malum theſaurum*, & malum *cimelium*, quamvis illam habentibus, & acquiſitam quaſi poſſidentibus. *Mercaturam* bonarum *artium* Athenas, ſeu Acroateria Athenæa, pulchre nominat Cicero; in his *cimelia* illa, *theſauri* illi comparandi ſunt: non autem *mali*, quos reprobat *Hippocrates*; ſed *boni*, quos ipſa Lege præcipit, imo exigit. Jam pridem, pro ſcientia quantalibet, certe conſcientia tota, hoc ago, ut utriusque partis *docentium* artem, atque *diſcentium*, *ſeriam* vigilantiam, ſerium ſtudium, obteſter; *ſerium negotium* geri, & gerendum eſſe, ad animos revocem. Non damno alia; non aſpernor in totum, aliena: nempe in illis, & pro illis, quibus à ſeveris ſcopis vacat. Illis vero, quibus hic fixus eſt terminus, illa ad quam contendant, meta, quæ totum tempus, omnes vires atque induſtriam, ad ſe vocet, diſſuadeo, ne, quod iterum, prima ſtatim epiſtola, Seneca conqueritur, tota vita, certe academica, & diſcendo apta ætatis periodus, elabatur *aliud agentibus*. Neque hoc ſolum; ſed non tam incidit memoriæ, quam non excidit memoria, reſponſio, quam practicus jam ab aliquot annis, medicus, inter quæſtiones ſub examine publico, à me formatas, recte retulit, ex animi mei ſententia interroganti: quid mali effectus producant ſtupia philiatrorum, quando alienis adhibentur? *ut neceſſaria*, inquit, *non diſcant*. Recte certe, virilem ætatem adeptus, & experientiam nactus, vir, dubitabat dicere, ut *non ſatis* diſcant: *non* diſcant, ajebat. Imo non ſine cauſſa ego quoque ſoleo, non tam ſolum de *aliis* loqui; quam de *alienis*; *Alia*, in diverſum abeunt; *aliena* in adverſum. Prorſus uti Seneca *mortiferis*, *luſoria* opponit. Ita vero profecto eſt; ita inquam comparata ſunt pleraque, imo præcipua, quæ hodie quam maxime, de Medicina, imo ad medicinam, docentur atque diſcuntur, ut non ſolum non adducant ad ſcopum animos, ſed abducant. *Mechanica* ſcientia, in ſuo ordine, à quonam, ejus vere perito, laude ſua atque dignitate defraudabitur? ſed *quid eſt* mechanica? certe qui per ſcientiam *motuum* definiunt, in ſolido ſunt, quod diſſenti-

enti-

entibus plebeja prorſus protervia adſcribunt, *Imperiti.* *Mobilitatis* ſcientia eſt mechanica, non *motus*; *mobilitas* eſt, quæ in materiarum conueniente diſpoſitione ad *motum iri*, ſubſiſtit: non ipſe *motus*. Vel exemplo, quod corpus recte ad ſubeundos motus *diſpoſitum*, non minus eſt *mechanicum*, quum quieſcit, & extrà uſum jacet; quam cum mouetur, ſeu motu actuatur, in actū & effectum deducitur. Unde nec effectum edit, niſi *quando* actuatur, *quatenus*, & qua *proportione*, actuatur, & *quamdiu* actuatur. Unde non *agit*, ſed *agitur*; non *movet*, neque ipſum ſeſe, neque aliud aliquid amplius: ſed *movetur*, primo ipſum, deinde aliud *per* ipſum. Quis vero tam rudis eſt, tam diſpoſitionis, quam uſus, *dentatarum* machinarum, ut non ſentiat, dum in actum deducitur machina, à primis momentis *inducendi* motus, ad ſuccedentia, non modo *tardius*, ſed *impeditius* atque difficilius, procedere negotium; quàm ubi ſemel totam machinam æqualiter *pervaſit* motus: & hoc toties, gradu ad minimum ſenſibili, evenire, quoties ipſe motus *tenor*, non intermiſſus plane, ſed tantum remiſſus, eſt. Num non autem in oculos incurrit? non prius ad *æqualem* illam motus efficaciam, pervenire univerſam machinam, donec *ultimæ*, inter plures, rotulæ, neque ſemel tantum, omnes dentes peruaſit motus; & tunc demum, è continuata actione, *contiguitatem* dentium, in exquiſitam perpetuam quaſi *continuitatem* deduxit, quâ, nihil interrupto fluxu, jugiter facere poſſit, quod non machinæ, ſed ſuum eſt, *progredi*. Siquidem, cum *tempus* intrinſeca ſit affectio motus, ubi ille interrumpitur, ut motus, ita *temporis* aliqua fit jactura, tardiusque, atque difficilius, curſum ſuum abſolvit motus: & continuationi ejus, è *continuitate medii*, vel uſus, vel defectus, ingruit. Ad piſtrinum ducendi ſunt tales, ut aliquid è molitorum querimoniis colligant; quando è contiguitate dentium fallente, vitium non tantum continuationis, ſed ipſius *gradus* motus, ſenſibus deprehenſum, accuſant. Daß ein ſchlotterich Werck, nicht nur ungleich, ſondern ſelbſt ſchwerer, gehe. Quid vero manifeſtius, quam quod diſpoſitio mechanica, revera *immaneat* machinæ; motus aliunde *accedere* debeat; diſpoſitio illa ne quidem ſit motus *in potentia*, ſed nuda potentia *ad motum*, nempe *adventitium*, qui illam & *incurrere* primum, & *percurrere* debeat. Ubi certe non mihi pudor eſſe de-

bet, qui dicam efflagitantibus; ſed illis, quibus, ut ignota res, dicendum eſt, talia, quæ ad ſcholaſtica ſcabella pertinent, imo *quod* ad illa pertineant: ad *primam philoſophiam*, & propemodum primas ejus *lineas: actio* & *paſſio, potentia* & *actus, ens potentiâ*, & *in potentia*: Nihil eſſe *abſolute paſſivum*, cum *abſoluta actio* non poſſit eſſe, niſi *paſſio* ſit compar: nihil *ſecundum idem* poſſe eſſe activum & paſſivum, ſed in quantum paſſivum eſt, in tantum ſemper eſſe *abſolute* tale. Falſum autem certe, quin inſuper malignum, & præterea è faſtu profectum, eſſe oporteret, ſi quis contendere ſuſciperet, injuriandi animo, talium rerum ignaros, & tamen illis, & circa illas, perpetuam irrequietam litem ſerentes, agitantes, & foventes, ad *primam philoſophiam*, aut lites tales ipſas ad *claſſes ſcholarum trivialium*, remittendos aſſeverari; cum perpetuæ ſit veritatis, antiquum illud: *Non pudor eſt non ſcire*; *ſed hoc, non diſcere velle*: illud autem pudori eſſe debeat, de rebus ignotis, cum animi & verborum impotentia perverſe contendere, imo altercari, & non poſſe quieſcere. Eodem autem recidit, & profecto eodem reſpicit, altera, verbis magis, quam verò ſenſu, diſceptatio; *quod Deus nihil creauerit otioſum*; adeoque nihil *purè paſſivum*. Quis enim, non philoſophus, ſed ruſticus, fuerit, quin intelligat, *otiari*, non magis conſiſtere in *non agendo*, quam in non *patiendo*: & non minùs otio *deſtitui*, quod *agitur*, quam quod *agit*; & contra. Quod recte Germani enunciant; Ruhe halten, und Ruhe laſſen: oder nicht Ruhe halten, und nicht Ruhe erhalten, oder erlangen. Et, unde ergo exſpectanda erit extricatio illa tricarum illarum, de activitate, & paſſivitate, in illâ, vix non abſolute fictâ, *ratione*; quàm è diſtinctionibus, ex anguſtis *ſcholarũ* claſſibus reboantibus: *ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore*: &: *actio & paſſio non ſunt abſolute oppoſita, ſed relata*: &: *non magis unum horum non poſſe eſſe alterum, quam unum non poſſe eſſe ſine altero*. Fateor, pudet, ſed nimio magis piget, ea eſſe tempora, illos eſſe mores, quæ flagitent, has res docere non pueros, ſed ſenes hinc inde. Quid vero, quod tota diſceptatio, nuce caſſa, alga, imo titivillicio vilior exiſtit. Quidquid in quæſtione utilitatem promittit, vel leviſſimam, in eo repoſitum eſt, non *quid*, & *unde* ſit, neque *qualis* in ſe ipſo, *motus*; nec in quo *ſubjectō* ſimpliciter: ſed *cur* ſit, *cur* talis, nempe ad quem uſum, & in quem finem. Plus dico; dum ne hoc quidem magnopere, aut certe abſolute neceſ-

ſarium

ſarium eſſe, aut ſane præcipuum inſtituendæ quæſtionis apicem abſolvere, ſummo jure meritoque nego. Ille enim eſt fundus totius negotii, & quæſtionis, quatenus utilis eſſe poteſt: an motus ille, & actus, qui fit in *vivis animatis* corporibus, præcipuè autem *animalibus*, ſit *utilis*; imo *neceſſarius*? & quo ordine atque typo, in fiendo aut facto, uſus *fini* recto quadret & reſpondeat. Quis enim neſcit verum ſcopum atque metam, quorſum infidæ & invidæ tales contradictiones, collineant quidem, ſed numquam collimant. Diſerte tota ſchola medica, ſed loquacior, junior, etiam importunè, conſtanter declamat, *Febriles* motus univerſos *præternaturales* eſſe; adeo, ut etiam maxime in ſenſum incurrentes, de illorum cenſu, *formaliter* pro *ipſo morbo*, ejusque *ſymptomatibus*, prolixe declarentur, & applicentur magis, quam explicentur. Suboluit aliqvid erroris *Campanellæ*, exactius; *Helmontio* obſcurius; Sydenhamio ambiguum, quantum. Poſtquã verò non in diſceptationem adductum, ſed in medium prolatum & poſitive deductum eſt, quod periculo *vitalium* partiũ & actionum, quod ipſi *mixtioni* illarum diſſolvendæ, a materia aliqua corruptiva impendere contingat, non posſit *meliore* modò occurri atq; conſuli, quã *emotione* talis materiæ e corpore; *emotio* hæc autem non posſit fieri niſi per *promotionem*: & prout emotio, juxta diuerſam activitatem noxiam materiæ, *acceleranda* venit, ita etiam *promotionem* accelerandam venire: & proinde circuitum ſanguinis, per *pulſum*, augendum eſſe, ut celerior & auctior appulſorius & transpulſorius reditus ad colatoria, pro *ſecretione* ad excretionem ſequi posſit: & tantundem augmenta hæc motuum continuanda eſſe, & continuari ſolere, donec impetratus atque perpetratus ſit ille *finis*: eoque facto ſponte ceſſare auctiorem illam commotionem: evicit tandem demonſtratio, uti luculentisſima, ita ſimplicisſima, aſſenſum: & adeo quidem exquiſitum, ut e tranquilliore conſideratione natum ſit aſſertum: non modo nihil *melius*, ſed nihil *aliud*, excogitari poſſe, qno corpus, a nocituris atque noxiis, materiis, in illud inſinuatis, liberari, iisque exonerari posſit, quam *Febrem*, cum omnibus motibus illam formantibus; & vulgo directe & in ſe, pro ipſo morbo, quin pro toto morbo, habitis atque declarari ſolitis. Interim ne ſit mortalibus quies, aliunde turbantur animi, ut non modo *utilitas*, ſed plane *veritas* huius rei, ex animis diripiatur. Eſſe omnino mo-

tus hos omnes,*morbidos*, principio, actu,effectu. *Eventum* ſolum eſſe ſalutarem,non effectum. Omnia enim illa ſimpliciter, immediate, directe, a *morbida materia, qua tali*, & efficacia eius, veris vitalibus motibus in heteroclitum ordinem exſtimulandis, trudendis,premendis, pellendis,pari,produci,induci,deduci: neque magis ex *accidenti*, turdum ſibi exitium,quam materiam hanc ſibi exitum, & eliminationem, e poſſesſione ſua,& toto corporis complexu,parare atque patrare.Putet quis, adhuc rem eſſe ſalvam; haberent ſibi ſuas contemplationes,dum in eo condeſcendant,quod utiq; motus hi & progreſſus,ſive directe, per modum *effectus*, ſive per in directum,per modū *eventus,utiles* ſint,imo *neceſſarii*:ſive uti hi volunt neceſſitate*materiæ*,ſive uti res eſt,neceſſitate *finis*.Sed revera fallitur,idq; partim a priori,e *Theoria*, Praxi non conſentanea:partim a poſteriori e *praxi*,Theoriæ quidē huic conſentanea, ſed effectu caſſa atque irrita. Quod enim prius attinet,Theoria hinc naſceretur,praxi *duobus* modis non conſentanea;*primo*,quod hoc intuitu nulli febri ullum ſubſidium adhiberi posſit; Cum totus eventus ſalutaris ſimpliciter a *morbida materia* pendeat: quæ tanto certius effectū hunc aſſecutura ſit, quanto magis ſibi relicta eſt, & ſibi conſtat: quandoquidem ab ipſa, tota eius provocatio & promotio ad exitum & eiectionem ſui ipſius pendeat. *Secundo*, aut, ſi quoddam inveniatur remedium,mediante quo,hic effectus materiæ morbidæ, per totum corpus, & e toto corpore depulſorius & expulſorius, vere promoveri poſſit, neceſſe ſit, ut hoc remedium ejusdem indolis ſit, cum materia morbida ipſa: quum non niſi *tale, additum tali reddat illud magis tales* & conſequenter materiæ, quæ in hoc ordine *remedia* eſſent febrium, idoneæ forent, quæ etiam proprio ſui vſu, intra corpus aſſumtæ, *excitarent* febrem. Quorum cum neutrum ita ſe habeat, ſtat nuda imbecillitas opinionis. Alterum autem quod attinet, redundat inde, non quidem plane nouus, ſed certe cooritur importunior, erroneus & irritus conatus, in *praxin* vere ſalutarem,medicam. Dirigitur totus impetus & ad auxilium concurſus, ſimpliciter aduerſus *materiam*; certe inutiliore potius, quam vtili ſecundum illam Theoriam, inſtituto & conatu: Si enim *materia*, quatenus ita moleſte & acriter efficax, & ipſo hoc actu, ad effectum eiectionis ſui ruit, quid attinet attri-

tis

tis eius hiſce viribus, effectum illum morari? Interim major evenit clades, ex eo, quod conſtans praxis, omnem illam materiæ *correctionem*, peruicaciſſime neget: & niſi, cum vel ſine auxiliis hujus opinionis, commenſurato exquiſito tempore, ſigna ſufficientia coctionis, & commenſurata periodo, ſpecimina ſufficientis ſecretionis & excretionis (ſpecie eadem ſiue cum, ſiue ſine talibus auxiliis) ſuccedant, non magis irrito conatu, quam toto ſalutari effectu. At vero, adhuc altius hæret atque ſedet malum. Cur illud non ad animum reuocatur, cujus tam locuples eſt occaſio e frequentia exemplorum, quod indies, ex irritis non modo, ſed peruerſis, hujus intentionis auſibus, febres actu *pervertantur*; nempe in illas turbas conjiciantur, talibus artificiis, qualibus *per ſe* numquam ſe ſubmittunt. Imo, vt eluceſcat veritas, quod illorum artificiorum hæc ſit culpa, manifeſtum hoc fit ex eo, quod non ſolum turbæ tales, *ſine* illis artificiis, pares inquam, numquam eveniant: ſed etiam *ſub* illis artificiis frequenter, imo poſitis paribus circumſtantiis, ad minimum in genere, *ſemper*. Unde affatim liquere poteſt, quod opiniones tales, non in ſua ſphæra maneant, ut *opiniones* ſint; de quo vel verbo diſceptare, ipſi primi nugatorium cenſeremus: ſed cum *praxi* ſcandalum, & *ægris* damnum objiciat, quis pro re ſilentio involvenda, ne dum conſenſu firmanda, declarabit? Certe vero prolixe verbis hic inſiſtere, cum ipſæ res pro ſe loquantur, nullo modo prurit animus. Unde non niſi pauciſſimis, monemus, non tam incaſſum diſceptandi avidos, quam inanium diſceptationum Gordias tricas, per brevem manum ſublaturos, ut motus vitales in corpore humano, proprio principio activo, in quod nul- „ lum jus, & cum quo nullum commercium, ſit animæ humanæ, „ qua tali, aſſerentes, ingenua quæſtione eo ducant, ſed & in eo, „ preſſe atque arcte, teneant & contineant, ut, ſed per argumenta, „ bonæ conſequentiæ, ediſſerant: qui ergo *nudis animi pathe-* „ *matibus*, (ut veris *entibus rationis*, *ratiocinantis*, ſed prœmatu- „ re concludentis, & entibus *voluntatis*, juxta præmaturam æſti- „ mationem ad effectum ſuum ruentis,) præſentior, certior, at- „ que nimio major, ſit efficacia, in vitales motus, pulſum cordis, to- „ num fibroſarum partium, motum ventriculi, appetitum, con- „ coctionem, diſtributionem, appoſitionem alimenti: imo in vi- „

ima-

imaginationis ad nævos maternos præfingendos, ad ipſam *primævam* conſtructionem corporis. Sed caveant inanibus diſcurſibus elabendi libertatem permittant; verum *argumenta* exigant, probanda, & connectendi atque colligendi vim exquirant. Qua in re ſi ſatisfactum fuerit, non liberum ſolum, ſed juſtum intelligent, indubium habere, quod hactenus nihil aliud, quam non modo dubium, ſed certè irritum eſt. Quàmobrem autem, quæſo, ita in utrumque latus titubatur, & inanis contentionis ſerra, etiam peſſimis exemplis, reciprocatur? Fero conditionem, exquiſitisſimis judicibus æquisſimam apparituram. Enodentur „ hæ difficultates, & afferatur, ex inſtituto, quibus utraque hic ita „ ſimul placent, ut alia & alii in ſolidum diſpliceant utrorumque „ jus atque fas: fiat hoc autem non Syllogismis, ſi non placet, ſed „ argumentis ſolum: veris atque firmis rationibus ſtabilitis. Pu„ to erit, quod agatur; ſed compenſabit laborem, & operæ pretium faciet, & animo tranquillitatem, certitudo atque evidentia rei, & ſubtractio activorum atque pasſivorum faſtidiorum. Quanto vero, ut ſolent inania, ſtrepitu, ſteriliſſima hæc diſceptatio, nullo jure, medica dogmata, adhunc usque diem, percellere, & qualibet aura denuo exagitari, adſueuit; non eſt tamen illa *ſola*, quæ feriæ ſalutari arti, ejusque tranquillæ atque ordinatæ inſtitutioni, tempus atque locum, intercipiat: ſed habet, partim ſoboles ſuas, partim complices, quæ transformatarum Pieridum more, Medicis muſis, irrequieta interpellatione, negotium faceſſant, & leves animos ab harum harmonia avocent. Phyſica qua talis, Anatomia operoſior, Chymia, Phytographia, in ſuo ordine atque loco diſciplinæ ſunt, à nemine prudente centemnendæ. Quando vero deſerta propria ſtatione, deſperato immanente aut emanante uſu, medicis caſtris ſeſe ingerunt, uti bona fide, & ſociali fœdere, hoc temerè, & præter numerum auxiliorum imperatum, facere non decet; ita, per antiquam prudentiam, ne quidem jure ſocietatis facere licet, ne turbæ, tumultui, ſeditioni, propius fiat negotium, quam caſtris aut ordinibus. Neque hoc umquã, aut horum quidquã facient aut certe non faciunt, diſciplinæ laudabiles; niſi conſultores mali, domi foriſque, in aliena prædia, tamquam colonias mittere, illinc ſuaderent, hinc excirent atq; invitarent. Qui vero atq; quales, niſi quibus magis è ſua re videri poteſt, turbi-

das

das eſſe, quam pacatas & bene ordinatas, res civitatis ſuæ, publicas, e qualibus, privatis ſuis cupiditatibus ut ſatisfiat, ne ſperare quidem poſſunt. Sed abſit ut in homines hic aliquid intendere, vel velimus videri, vel poſſimus; de moribus loquor, & quidem nominatim, peſſimo illo, primi quoque lapſus ſvaſore, frivola curioſitate. Quam indigno loco hæc habita ſit, ab antiquisſimis ſinceriorum hominum temporibus, & practicis notum eſt exemplis, & orat hanc cauſſam ſatis facunde atque diſerte, proprio commentario, propioribus quantiſper ſeculis, Plutarchus. Quæ præ manibus ſunt res, quæ, inquam, præcipui noſtri ſcopi, & non tam ſolum priuati, quam publici, uſus ſunt, neceſſarii imprimis; illarum, (ſiquidem huc, in laxo ſuo atque fluxo ſenſu laudari amans, vocabulum, adhiberi meretur,) curioſum eſſe, non male convenit; aliarum, vix niſi male: ſed hoc cum primarum neglectu, peſſimè. Quis autem credere poſſit, niſi omnium rerum imperitus, deeſſe ſtudio atque arti Medicæ, quo hominem, ingenio & induſtria præditum, affatim occupet; imo etiam ſatiet: &, dum ad communem reipublicæ uſum dimittit, ab otio & deſidia liberet. Interim, pro uti ſunt indoles, ſi quis, præ aliis unus, ea mentis excitatæ aut exercitæ promtitudine polleat, ut quæ artis ſunt, (quorſum multum confert bona methodus,) facilè atque expeditè comprehendat; adeoque poſſit atque velit, etiam aliarum diſciplinarum & ſcientiarum amœnitatibus, animum veluti recreare; Medica certe ars, & quicunque illam ſerio & fideliter colunt & ſectantur, plenum jus plenamque libertatem minime negaverit. Nec umquam hoc, ſed illud unum, eſt, quod improbatur, ſi alia illa, in artem ipſam ingerantur; ad artem pertinere, imo requiri, non prima magis ordine, quam tota dignitate, eſſe, ſine his non poſſe conſiſtere medicam artem, imo nullam eſſe, non poteſt niſi grauiſſimæ indignationi anſam præbere, & prodendæ reipublicæ ſuſpicionem commovere. Quid autem, obſecro, factum eſt, his tot, tantisque, auſibus an luſibus? Num inde agnitum umquam, quale ſit corpus, ad medicam conſiderationem, totum e fundamento, penitiſſimæ, imo & citiſſimæ, corruptioni expoſitum; quid ſit hujus materialis unici habitus corporis oppoſitum, Vita, quatenus de corpore prædicatur: an oppoſitus hic effectus, materiali quadam ratio-

b tio-

tione, an ſolum formali, quem vocant, influxu, actionis certæ, abſoluatur: cui proinde præcipue invigilare, adſiſtere, veſtigia legere, ſuppetias ferre, ſubſidiaria media ſubmittere, ſit directum artis officium: an methodus & remedia, magis ad illum materialem habitum, immediate; an vero ad hunc formalem actum; mediate aut immediate, dirigere deceat, imò neceſſe ſit: num ex alteris iſtis rebus, hiſtoria morborum, quatenus ad artem, nempe ejus poteſtatem, pertinet, locupletata eſt, illuſtrata, adjuta; & non potius turbata, nudis narrationibus paſſim, nec illis toties ſinceræ, quoties ſubleſtæ, fidei? Num verum eſt, & teſtantur id experientiæ documenta & ſuffragia, quod artificiis illis, in Pharmaciam introductis, minor fiat funerum frequentia; aut ad minimum, (cum vitæ terminum humanis erroribus permittendum, quam maxime ipſe nullatenus cenſeam,) certius inde debellantur morbi, manifeſtius edomantur: ſolidius reſtituitur atque ſtabilitur ſanitas? Num in mentem venit cuiquam, rem in ſe notoriam, ad animum revocare, quod, imò quot, homines, & quibus maxime modis, ſine ulla externa, nedum tali, arte, & tot tentaminibus, ad temeraria usque experimenta evagantibus, ſponte vincant morbos, elidant & expellant materias morbidas, & corpus ſuæ puritati, excuſſis heterogeneis, redditum obtineant? Inter quot mille, quæſo, exercitationes atque diſquiſitiones, illud Thema, vel decies forte (ſiquidem toties) enucleatum eſt, quod peculiari ætatum periodo, proprii morbi impendeant: quoties autem illud tentatum eſt, ut huius rei aliqua ratio veſtigaretur? quid itaque Pathologia, cum hiſtorica fideli, atque phyſica, veritate conſentaneum, ex his rebus retulit, quod ad uſum & poteſtatem artis transferre liceat? quotus quisque vero illud hodieque credit, ne dum intelligit, multominus autem adſtruit & inculcat, quod nulla conſideratio, quæ res extra poteſtatem artis poſitas complectitur, medica ſit, & arti proficua. Dies me potius deſtituat, quam deſideratorum talium cenſum peragam. Quid vero ſi in cauſſam inquiras, quamobrem hæc non diſcantur? Ego te interrogabo, ubi doceantur; imprimis qua decet, imo quantâ, induſtria, ordine, methodo, explicatione, applicatione: quantam ſane præ aliis, ut fundamento huic ſuperſtruendis, præſtolantur. Cur pauci hoc agant, ut hæc doceant, vel

ipſos

ipſos interroga qui non faciunt; quid reſponſuros putas? occupatos eſſe; monſtrabunt & oſtendent, pro Theoria, totas cohortes curioſarum animadverſionum: pro praxi, centurias tentaminum, experimentorum, obſeruationum: ſed caue, ut vel exquiſitas circumſtantias, vel illud Diogenis exigas, quo votiva naufragorum donaria & elogia deriſit. Cavendum autem certê mihi eſt, ne curioſius hæc commemorare videar, quam utilius; de habitu ad utilitatem, audeo vades dare: de effectu, concedendum eſt Providentiæ. Dicam, Tibi NOBILISSIME CANDIDATE, quid expedire ſentiam, intelligam, expertus ſim; facile mecum facere poteris, ut facias, etiam cohortor. Noli, etiam hoc ultimo intuitu, curioſus eſſe; noli intueri, nedum examinare, quid alii agant, minime omnium autem, acta reprehendere: ne verè quidem, ne dum malignè: vide Tu, ut facias, quæ facienda ſcias, & quibus factis gaudeas. Certo gaudebis; & Deo reddes, quod ipſius eſt: ille eſt, qui vitæ atque ſanitatis ordinem, iis legibus, ea ratione conſtituit, quam veſtigare, venerari, ſectari, juſtum atque æquum ſit: corrigere, & novis inventionibus, tamquam melioribus, ſubſtituendis, aſpernari, præterquam quod irritum ſit, ſtolidum quin impium, agnoſce. Laudatus vero ſit altisſimus, qui etiam ſub ipſis, imo propemodum ipſis, caſtigationibus ſuis, per peſtis flagrum communi patriæ immiſſum, tandem jubar ſapientiæ ſuæ illuceſcere, clementisſimè voluit, &, ſalute ſui corporis, initia experimentorum capeſſere, pasſim jam mortalibus paterne concesſit, quod vivida illa, ab ipſo inſtituta, vitalis Therapiæ methodus, potentior ſit, quibuslibet hominum auſibus & artificiis: imò, pro quo non minus laudandus eſt, quod artificia talia, tandem evidenter erubeſcant, damni potius, quam auxilii, non ſuſpectis teſtimoniis poſtulata. Unum ſupereſt, quod Tibi partim, partim de Te, dicam. Vixiſti nobiscum per aliquot annos, artis addiſcendæ gratia. Comparuit, velle audire; audiviſti inter alios artis Antiſtites, me, & poſſum teſtari, asſiduus & attentus: audiviſti totum doctrinæ curſum peragentem, Tit. DN. D. ALBERTI, Profeſſ. Extr. Celeberr. Quid audiveris, ſpero ſenſiſti, praxeos exercitio ab illo tempore ſuſcepto: ſenties, ſi illis monitis & præceptis porro inſtiteris. Abſit, ut noſtra audiveris; vera audiviſſe

con-

confido: ſi non multa, certe quæ ſufficere poſſunt, dummodo multum audiveris. Divinæ veritatis eſſe debent, quæcunque uſum ſalutarem pollicentur. Una eſt veritas; pauca, ex infinitis alienis, vera ſunt: hæc ſufficiunt. His potire, utere, fruere: ſequere agricolam Euangelicum, qui deprehenſo in agello theſauro, omnia ſua vendidit, illum emit. Dum autem, quod unum neceſſarium eſt, ad Deum hæc refers, ab illo munificentisſime auferre dabitur. Hoc age; eris tam voto meo, quam ad omne votum, Felix. Vale.

Dabam è Muſæo IV. Febr.
MDCCXIV.

IN *curas* hodie propendent pectore vanas,
Torquentes multi, quæ bona ſunt, Medici.
Nam Medica ars fraudum quæ neſcia conſtitit unquam,
Nunc petit in *raris* gloriolam lepidam.
Sunt *Curæ* ſteriles, animos ad vana trahentes,
Affectant verum, ſub lacera ſpecie.
His *Curis* vanis quæ ſit Medicina ferenda,
Tu docte monſtras; utilis ecce labor!
Augiæ ſtabulum purgas tentamine pulchro,
Ad votum cedat, nunc precor, hæc opera,
Protegat hanc, voveo clementia Numinis almi,
Ut maneat ſemper, Nobilis ars Medica.

Hiſce applaudere voluit Honoribus bene
promeritis Experientisſimi, Nobilisſimique
Domini Candidati

Michael Alberti, D.
& P. P.

(o)